BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIII
A
10
NAPOLI

LIII.
A.
10.

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS, FRATRIS EREMITÆ AVGVSTINIANI,

DE PRAECIPVIS VRBIS Romæ, ſanctioribuſque baſilicis, quas ſeptem Eccleſias vulgò vocant, Liber.

Opuſculum non modò pijs gratum, verumetiam ob variã vetuſtatis deſcriptionem omnibus lectu perquàm iucundum.



NAPOLI

COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
Anno M. D. LXXXIIII.

REVERENDO NOBILITATE, PIETATE, ATQVE doctrina pręſtanti Domino, D. Franciſco Voſs à Midler, Eccleſiæ Diuæ Virginis apud Aquēſes Decano, &c. Domino ſuo perpetua obſeruantia colendo, Maternus Cholinus S. P. D.

ONuphrium Panuinium, vnicè ſemper & colui & obſeruaui, cùm ob raram ipſius doctrinam, & ſingulare in vetuſtatis peruestigatione, hiſtoriæq́ illuſtratione impenſum ſtudium: tum etiam quòd mutuis inter nos crebris literis amicitiæ quandam coniunctionem cum eo, maximi licèt itineris interſtitio, à nobis diſtracto, contraxerim, ex qua mihi, typographiæq́ noſtræ non parum emolumenti, ornamētiq́ acceſſit. Bis namq́ Platinæ de vitis ſummorū Pontificum hiſtoriam correctam, neceſſariaq́ acceſſione locupletatam, mihi pro ſuo erga me candore ſuppeditauit, meo prælo ſubmittendam: quemadmodum ſic etiam apud me proſtat.

Atqui quum nuper fortè Reuerentiæ Tuæ adeſſem, & Onuphrij aureum de præcipuis ſanctioribusq́; vrbis Romæ Baſilicis, ſiue de ſeptem primarijs eiuſdem Ecclesijs opuſculum, apud eandem offenderē, mihi verò ea vt donaret inſtarem, nō grauatim meæ petitioni acquieuit. Perlatum itaque domum meam opuſculum, quum ilicò nō perluſtrarem modo, verumetiam eiuſdem lectioni diligenter incumberem, adeò mihi placuit, vt ſtatim dignum id prælo noſtro iudicarem: idq́; non tantùm ob auctoris celebre nomen, at etiam ob multifariam vetuſtatis in eo conſequendam cognitionem, imprimis autem cùm ob præcipuarum Baſilicarū, tum etiam ſacrarum ferè ædium aliarū omniū in vrbe accuratā deſcriptionē, atq; in quaq; ſanctorū corporum reliquiarum, theſaurorumq́; diligentem enumerationem: quæ omnia quum pietatis, hiſtoriæq́; ſtudioſo lectori ſummam voluptatem paritura ſint, haud dubitaui, me opellula hac ſic mea eidem gratum literarium beneficium præſtaturum: hoc at beneficium, hanc voluptatem, & quicquid porrò vtilitatis hinc lectori ſubſequetur,

otum Tuæ R. acceptum is ferre debet, à
nimirum exemplar Romanũ nactus
: ob quam etiã cauſſam tuo nomini hæc
tio meritò inſcribi conuenit. Atqui quũ
ueritia ferè tuæ ob perſpectã tum præ-
rã tuã indolem ſemper te amarim, tuq́;
iſsim me affectu quodã proſecutus ſis,
rò vt ad hanc præſentem vſq; ætatẽ no-
ã, ſenſim ſic creuerit mutuus inter nos
icitiæ cultus, vt amoris, cãdorisq́; erga
tui ſignificationem haud dubiam etiã-
m perſpiciam atq; ego ideo indies magis
gisq́; in R. Tuæ obſeruãtiã quotidie pro-
ar, nõ viciſsitudine tãtũ huc adductus,
etiã pietate, doctrinaq́; tua inſigni, quã
ã in Catholicæ Eccleſiæ propugnationẽ
fers: volui ideò huius meæ obſeruantiæ
dijq́; noſtri erga R. Tuã, publicã extare
eſtationẽ per æditionẽ hanc noſtrã, quã
ci meritò R.T. deberi. Proinde precor R.
ã, vti ea inſcriptionẽ nuncupationemq́;
ne, ceu meæ gratitudinis, animiq́; T. R.
ditiſsimi argumentũ, acceptare & inter-
etari velit, quã Chriſtus IEſus Eccleſiæ
e Catholicæ quã diutiſsimè cõſeruare di-
etur. Coloniæ Kalendis Aprilis, 1584.

INDEX ECCLESIARVM ET PIORVM LOCORVM.

DE quinque vrbis præcipuis & patriarchalibus baſilicis, ac de duabus alijs Eccleſijs eiſdem additis, quæ ſeptenarium numerum explent. pag.12
De presbyterorum Cardinalium origine & xxIIx. ipſorum titulis antiquis, & xXI. nouis. 20
De Diaconorum Cardinalium origine, & ipſorum XII. antiquis Diaconijs. 37
De baſilica S. Petri Apoſtolorum principis in Vaticano. 45
De Eccleſia S. Mariæ Tranſtiberim. 82
De baſilica S. Pauli Apoſtoli via Oſtienſi. 87
De Eccleſia SS. Vincentij, & Anaſtaſij martyrum ad tres fontes, ſiue ad aquas ſaluias. 108
De oratorio S. Mariæ ſcala cœli. 112
De oratorio S. Pauli ad tres fontes. 114
De Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ. 115
De Eccleſia S. Sebaſtiani. 118
De catacumbis. 122
De ſacello, Domine quo vadis, vocato. 131
De ſacroſancta baſilica S. Saluatoris Lateranenſis. 188
De baſilicæ Lateranenſis redditibus & ornamentis. 158
De baptiſterio Lateranenſi, & eius ornamentis. 159

De porticu S. Venantij ante baptiſterium. 195
De duobus oratorijs in baptiſterio Lateranẽſi SS. Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ. 198
De oratorio S. Ioannis Euangeliſtæ. 201
De oratorio S. Crucis. 203
De Eccleſia S. Venantij. 206
De Monaſterio Honorij Papæ iuxta Lateranum. 208
De Patriarchio Lateranenſi. ibid.
De baſilica Leoniana minori. 222
De porticu Lateranenſi. 223
De pulpito Bonifacij VIII. Papæ. 225
De aula quã nunc ſalam Concilij vocant. 226
De oratorio S. Sylueſtri. 228
De oratorio S. Laurentij, quod nunc dicitur Sancta ſanctorum. 229
De ſacra Saluatoris imagine, quę eodem in ſacello ſeruatur. 235
De hoſpitalibus domibus Lateranenſibus. 242
De Eccleſia & titulo S. Crucis in Hieruſalem. 244
De ſancto ſacello Hieruſalem dicto. 264
De baſilica S. Laurentij extra muros. 276
De baſilica S. Mariæ Maioris. 287
De Eccleſia & titulo S. Praxedis. 323
De Eccleſia & titulo S. Pudentianæ. 325
De Eccleſia, & titulo S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletiani. 329

ONVPHRII PANVINI VERONENSIS FRATRIS Eremitæ Auguſtiniani,

DE PRÆCIPVIS VRBIS ROmæ Sanctioribusq; Baſilicis, quas ſeptem Eccleſias vulgò vocant. Liber.

Præfatio.

DIV & multum, etiam à principibus viris rogatus ſum, vt de ſeptē Vrbis Eccleſijs, q̄ quotidiè tam à peregrinis quàm à Ciuibus Romanis ob deuotionē & pietatem, ſanctarū reliquiarum in eis iacentium reuerentiam, multiplicesq; peccatorum indulgentias conſequendas viſitantur, breuem librum conſtituerem, quò multa quæ obſcura in ijſdem facta ſunt, aperirē, ſingularū maieſtatē aſſererē, reliquias enumerarē, & prę̄clara quęq; de ijs aut dicta aut ſcripta inſinuarem, vt ijs diligenter & legitimè cognitis, omnium mortalium in eas amor, deuotio, & pietas magis accenderetur. Tot piorum hominum precibus facere ſatis volens, ſimulq; Pij V. Pont. Max. incredibili Religione incitatus, rē diu ante à me

cogitatam, tandem exequi conſtitui. Ita enim futurum ſperaui, vt hoc libro omnium hominum eas viſitantium animos recrearem, tot egregiarum rerum commemoratione deuotionem augerem, pietatẽ confirmarem. Si enim vllo in loco vnquam pietas & religio viguit, templa multa Christo ſanctiſq́ eius dedicata, magnis prouẽtibus aucta, ornata, & viſitata ſunt, id Romæ factũ eſt. Vnde S. Hieronymus in proœmio libri ſecundi cõmentariorum in epiſtola ad Galatas, tantũ Romanæ plebis laudat fidẽ. Vbi enim (inquit) alibi tanto ſtudio & frequentia, ad Eccleſias & ad martyrum ſepulchra concurritur? vbi ſic ad ſimilitudinem cœleſtis tonitrui, Amẽ reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? non quod habeant aliam Romani fidem, niſi hanc quã omnes CHriſti Eccleſiæ, ſed quod deuotio in eis maior ſit, & ſimplicitas ad credendum. Idem intelligitur ex Prudentio lib. 1. cõtra Symmachum in his verſibus:

Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliumq́, ſenum geſtire Catonum
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere, & exuuias deponere pontificales.
Iamq́, ruit paucis Tarpeia in rupe relictis,
Ad ſyncera virum penetralia Nazareorum,
Atq́, ad Apoſtolicos Euandria curia fontes
Anniadum ſoboles, et pignora clara proborum.
Fertur enim ante alios generoſus Anicius vrbis

Illuſtraſſe caput, ſic ſe Roma inclyta iactat,
Quin & Olybriaci generiſq; & nominis hæres
Adiectis faſtis palmata inſignis ab aula
Martyris ante fores, Bruti ſubmittere faſces
Ambit, & Auſoniã Chriſto inclinare ſecurim.
Non Paulinorum non Baſſorum dubitauit
Prõpta fides dare ſe Chriſtro, ſtirpemq; ſuperbã
Gentis patritiæ venturo attollere cœlo
Iã quid Plebicolas percurrã carmine Gracchos
Iure poteſtatis fultos, & in arce ſenatus
Præcipuos, ſimulachra Deum iuſſiſſe reuelli,
Cumq; ſuis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Chriſto ſe conſecraſſe regendos,
Sexcentas numerare domos de ſanguine priſco
Nobilium licet ad Chriſti ſignacula verſas
Turpis ab idoli vaſto emerſiſſe profundo,
Si perſona aliqua eſt, aut ſi ſtatus vrbis, in his eſt
Si formam patriæ facit excellentior ordo
Hi faciunt, victa eſt quoties ſententia plebis
Atq; vnum ſapiunt plures ſimul ac potiores
Reſpice ad illuſtrem, lux eſt vbi publica cellam
Vix pauca inuenies, Gentilibus obſita nugis,
Ingenia obſtrictos ægre retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat ſeruare tenebras,
Splendentemq; die medio non cernere Solem
Poſt hinc ad populum conuerte oculos, quis in vrbe eſt,
Qui Iouis infectam ſanie non deſpuat aram
Omnis, qui celſa ſcandit cœnacula vulgus,
Quiq; terit ſilicem varijs diſcurſibus atram,
Et quem panis alit gradibus diſperſus ab altis,

Aut

Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat,
Quò cinis ille latet genitoris amabilis obſes
Cœtibus, aut magnis Lateranas currit ad ædes
Vnde ſacrum referat regali Chriſmate ſignum
Et dubitamus adhuc Romã tibi Chriſte dicatã
In leges tranſiſſe tuas omniq; volentem
Cũ populo & ſummis cũ viribus ardua magni
Iam ſuper aſtra poli, terrenum extẽdere regnũ.
Nec moueor q pars hominũ rariſſima clauſos
Non aperit ſub luce oculos & greſſibus errat,
Quamlibet illuſtres meritis, & ſanguine clari,
Præmia virtutum titulis & honoribus aucti
Ardua rettulerint faſtorumq; arce potiti
Annalis, proprio ſignarint nomine chartas,
Atq; inter veteres ceranumerentur & ære.

Et Procopius li. 1. de bello Gothico, Chriſtianæ fidei diſciplinam ſi vſpiam alij vnquam, Romani præcipuè ſunt venerati. Cuius rei inter alia præcipuum & maximum eſt argumentum, tot Eccleſiarum, xenodochiorum, monaſteriorum, oratoriorum, & ſimilium ſacrorum ædificiorum ſuperbiſſimæ fabricæ ornamenta, & redditus: quas tã priſcis, quàm noſtris temporibus in vrbe, fuiſſe conſtat. Quum.n. ego accuratè veterum ſcriptorum Eccleſiaſticorũ, & S.R.E. monumenta euoluerem, ad mille templa, vel monaſteria, aut xenodochia (diuerſis tamen temporibus) in vrbe fuiſſe adinueni: de quibus grande volumen compoſui. Hoc verò libro de ſeptẽ pręcipuis vrbis Ro-

mæ Eccleſijs tantum verbo facturus, cur hę baſilicæ ſeptenario numero celebratæ fuerint, primum aperiam: mox de vnaquaque ſingillatim, quę cognitu digna eſſe exiſtimabo, differam.

De quinque vrbis præcipuis & Patriarchalibus Baſilicis, ac de duabus alijs Eccleſijs eiſdem additis, quæ ſeptenarium numerum explerunt.

Cap. I.

ILlud igitur ante omnia ſcitu dignum, Romæ quinque baſilicas fuiſſe, quæ Patriarchales etiã Eccleſiæ vocatæ ſunt: XXVIII. titulos, & XIIX. Diaconias: de quibus hoc loco accuratè tractare conſtitui. Cur autem non plures, neq; pauciores Eccleſiæ ſimul inſtitutæ fuerint, quæ his nominibus decorarẽtur: operę pretium erit explicare, huicq; inſtituto maximè conſentaneum, quum hæc res inſigni myſterio celebrata ſit.

Veteres Romani pontifices, vt ex libro Cameræ Apoſtolicæ intelligitur, qui Prouincialis appellatur, quinque in vrbe maiores, & præſtantiores, ditioreſq; Eccleſias vel iam fabricatas elegerũt, vel de nouo eas cõdiderunt: quas ab inſigni ædificij magnitudine & pulchritudine, tum baſilicas, tum patriarchales Eccleſias, palatiaq; cõſpicua illis ad-

diuncta, patriarchia appellarunt. Hę fuere:

Baſilica ſancti Saluatoris, quæ & Conſtantiniana ab auctore, & Lateranenſis à loco, & Aurea ab ornamentis dicta eſt, nunc ſancti Ioannis dicitur.

Baſilica ſancti Petri Apoſtoli in Vaticano

Baſilica ſancti Pauli Apoſtoli extra vrbis mœnia, via Oſtienſi.

Baſilica Liberiana, aliâs Xyſti papæ, in exquilijs, quæ ſanctæ Mariæ Maioris, vel ad præſepe vocata eſt.

Baſilica ſanctorum Stephani, & Laurentij extra vrbis muros via Tiburtina.

Quod etiam refert Ioannes Monachus Picardus Cardinalis S.R.E. in cap. fundamenta de elect. in ſex his verſiculis:

Paulus, Virgo, Petrus, Laurētius, atq; Ioānes,
Hi patriarchatus nomen in vrbe tenent.

Quod cur fecerint veteres Romani pontifices, duplex cauſſa fertur.

Prima quod hæ quinq; ſedes Patriarchales pro quinque præcipuis orbis Chriſtiani patriarchis honoris gratia fuerint inſtitutę, vno indigena Romano, & quatuor peregrinis, Conſtantinopolitano ſcilicet, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano. Quotieſcunque enim contigiſſet generalia concilia in vrbe celebrari, quibus intereſſe ipſi Patriarchæ tenebantur: vel patriarchas ipſos, p arduis reipublicæ Chriſtianæ negocijs, vel quæſtionibus definiendis ad vrbem

acce

accedere, eorum quiſq; ſedem, palatium ſcilicet & Eccleſiam, tãquam in natali ſolo vel prouincia ſua, Romæ haberet præcipuam, quũ vrbs ipſa cõmunis totius patria appellaretur. Sedes verò patriarchales, præter Romanam, non niſi quatuor eſſe, ſancti patres pluribus generalibus cõſilijs definiêre. Aquilienſis .n. Gradenſis, & Venetus poſterioribus temporibus ex priuilegio adiuncti ſunt. Altera ratio, quæ mihi longe veriſimilior videtur, eſt, vt per hæc inſtituta demõſtraretur Patriarchã, ſiue Põtificem Romanum (qui & ipſe aliquando Patriarcha appellatus eſt) tanquã caput & principẽ totius orbis Eccleſiarũ, alios quatuor Patriarchas, qui ſigillatim per ſuas diœceſes totũ orbem Chriſtianum regunt & gubernant, ſubditos habere, ac alijs omnibus ſedibus patriarchalibus præeſſe, vt Eccleſiæ ipſius vniuerſalis vnitas demonſtraretur. Per quinq;.n. Eccleſias patriarchales, videtur quod vrbs & Romana Eccleſia, quinq; patriarchas ipſos, id eſt Romanum, Conſtantinopolitanũ, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, & hac ratione vniuerſum terrarũ orbem repręſentet, & ad eius exemplar cõſtituta fuerit, quũ eas in vrbe habeat ſedes patriarchales, quę ſunt in vniuerſo orbe terrarum. Poteſt demũ eiuſdẽ rei & tertia cauſſa afferri ſuperiori ſimilis. Eccleſiam ſcilicet Romanam vniuerſum orbem Chriſtianum

ſigni-

ignificare, & eum qui eſt eius ſedis Epiſco-
pus, epiſcopum quoq; eſſe totius orbis Chri
ſtiani: per reliquas verò quatuor ſedes, qua-
tuor mũdi partes deſignari, id eſt, Orientẽ,
Occidentem, Meridiem, & Septentrionem.
Quodq́, quemadmodum Papa ijs quatuor
patriarchis præeſt, ſic etiam toti orbi præſit
Chriſtiano. Quam rem ita eſſe colligitur
ex antiqua pictura, quæ fuit in Lateranenſi
patriarchio, his ſimulachris expreſſa. In-
ter has porrò quinque patriarchales baſi-
licas, Lateranenſis baſilica, alias ſancti
Saluatoris, quæ & Conſtantiniana voca-
tur, principem locum intra vrbem ali-
quando obtinuit. Ipſa enim fuit Romano-
rum pontificum ſedes, vbi ipſi in patriar-
chio iuxta eãdem Eccleſiam fabricato, mil-
le annis permanſere, à ſancto Syluestro pa-
pa qui primus id condidit, vſq; ad Clemen-
tis papæ V. pontificatum; qui Romanam
curiam in Galliam tranſuexit, vbi ipſe &
qui ei ſucceſſerunt quinque Romani pon-
tifices ad ſeptuaginta annos permanſerunt.
Cæterùm Gregorius XI. qui Romã Petri ſe-
dem ex Auenione reduxit, & qui ei ſucceſ-
ſerunt Romani põtifices, nequaquã ampli-
us Laterani, ſed in patriarchio prope ſanctũ
Petrum in Vaticano perpetuam ſedem fixe-
re, proximæ molis Hadriani, quam in ar-
cem verterunt opportunitate ducti. Baſi-
licæ porrò Lateranenſis ſeruitio propter
Ponti-

Pontificis Romani ibidem tunc commorantis ſupremam maieſtatem, dignitatemq́, ſeptem Epiſcopi ex finitimis Vrbi oppidis decreti ſunt, qui ſingulis hebdomadæ diebus ſinguli vel præſente, vel abſente papa ſuper aram maximam Baſilicæ Lateranenſis diuina myſteria celebrarent, vel pontifici ſolennibus ſtatisq́ diebus ſacra celebranti aſſiſterent. Vt autem ſunt ſeptem hebdomadæ dies, qui rurſus finita hebdomada in ſeipſos redeunt, ſic ſeptem Epiſcopi lecti, qui omnes per ſingulos dies ſinguli celebrantes hebdomadam explerent, qua decurſa rurſus ijdem miniſterium inchoarent, perficerentq́. Atq́ ob hanc cauſam ſeptem hi Epiſcopi, poſtea epiſcopi Cardinales, id eſt, principales, quum Romani pontificis miniſterio ſpeciatim inter omnes Epiſcopos adſcripti eſſent, appellati ſunt. Horum inſtitutio vetuſtiſſima eſt. Siquidem in vita Stephani papæ IIII. qui III. dictus eſt, creatusq́ pontifex fuit anno ſalutis DCCLVIII. apud Anaſtaſium Biblichecarium ita ſcriptum inueni: Hic conſtituit, vt omni die dominico à ſeptem epiſcopis Cardinalibus hebdomadarijs, qui in Eccleſia S. Saluatoris obſeruant, Miſſarum ſolennia ſuper altare B. Petri celebrarentur, & (Gloria in excelſis Deo) cantaretur ſuper rugas, per quas ingrediuntur ad altare, vbi imagines in frontiſpicio conſtitututæ ſunt. Fuere autem hi vij.

Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, qui ſolus ob conſecrationem Romani Pontificis, quæ ad eum pertinet, inter omnes epiſcopos in ipſa conſecrationis ſolennitate pallio vtitur: cuius ſedi adiuncta fuit ab Eugenio Papa III. Eccleſia Veliterna. Hic die ſolis vel Dominico miſſam Laterani celebrabat.

Epiſcopus Cardinalis Syluæ candidæ, alias SS. Virginum Rufinæ & Secundæ, alias S. Rufinæ. Hic tam in Baſilica ſancti Petri, quàm in vrbe Leoniana, quam nos Burgum ſancti Petri vocamus, abſente Papa actus epiſcopales exercebat, dieq́; lunæ ſiue feria ij. ſacra in Baſilica Laterenenſi faciebat. Hæc ſedes deficientibus incolis vnita eſt à Calliſto ij. Eccleſiæ Portuenſi vicinæ.

Epiſcopus Cardinalis ſancti Hippolyti, alias Portuenſis, qui Tranſtiberim iuriſdictionem epiſcopalem obtinebat, & feria iij. ſiue die Martis ſacra in Baſilica Conſtantiniana peragebat.

Epiſcopus Cardinalis Sabinus.

Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus.

Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus.

Epiſcopus Cardinalis Albanus.

Hi reliquis quatuor hebdomadæ diebus præſente vel abſente Papa Laterani miſſas ſuper aram maximam celebrabant.

In hac verò Baſilica qui vices Papæ gererent, & ſacra officia, horasq́; canonicas celebrarent, antiquitus erant Prior, & Canonici

regulares ordinis S. Auguſtini, vnde & eorũ congregatio Lateranenſis dicta eſt. Nunc habet Archipresbyterum, & Canonicos ſæculares cum aliquot beneficiatis clericis, cantoribus, capellanis, & miniſtris ibidem à Bonifacio papa viij. conſtitutos.

Eadem porrò ratione cæteris quatuor eccleſijs patriarchalibus, earumq́ miniſterio ſeptem per ſingulas miniſtri aſſignati ſunt. Hi non epiſcopi, ſed presbyteri Cardinalis, id eſt, principales Vrbis Romæ fuere numero xxviij. quater enim ſepties eundem numerum reddit. Et ob eam rationem xxviij. eccleſiæ, quos titulos vocauit, Romæ inſtitutæ ſunt, quibus hi xxviij. presbyteri Cardinales præeſſent, de quibus & eorũ titulis ſingillatim dicam, ſi prius quæ de ſeptem eccleſijs ſcribere in vniuerſum conſtitui afferam. Ex his igitur quæ ſupra dixi ſatis conſtat, quinq; baſilicas patriarchales Romæ fuiſſe, ob id alijs eccleſijs celebriores, & ob maiorem reuerentiam magis à Chriſtianis viſitatę. Quibus Chriſtianorum eaſdem viſitantium religio, duas alias hanc ob cauſam adiunxit. (neque enim aliam probabiliorem inueni, quanquã pleroſq; eſſe ſciam, qui hunc numerum ſeptenarium ad ſeptem Aſianas eccleſias Beati Ioannis Euangeliſtę Apocalypſi celebres piè referant.) Primo enim baſilicam ſancti Petri, deinde ſancti Pauli, pij homines inuiſere ſolebant. Cumq́ à ſancto Paulo ad Lateranum

num iter facturi eſſent, incongruum ijs viſum eſt, eccleſiam ſancti Sebaſtiani, cœmeterium Calliſti, Catacumbas tot ſanctorum corporibus referta, inuiſa tranſire, præſertim cum eadem ferè via procedendum eſſet, atq; ita hac ratione quinq; eccleſijs, quæ viſitari ſolebant, ſextam adiunxerunt. Eadem ratio ſeptimam addidit medio itinere inter Lateranenſem, & ſancti Laurentij extra muros baſilicas ſitam, eccleſiam ſcilicet S. Crucis in Hieruſalem, maximis & ipſam reliquijs condecoratam. Id ita eſſe facilè ex eo intelligi poteſt, quod pia ſequentium temporum religio, ſeptem antiquis eccleſijs, duas alias ſancti Anaſtaſij ad tres Fontes, & S. Mariæ Annunciatæ medio itinere inter ſancti Pauli & S. Sebaſtiani baſilicas, itineris opportunitate adiunxit, ad nouemq; auxit, quæ hactenus à Chriſtianis frequentantur.

Illud verò ſcitu dignum, Anno Iubilei antiquitus à Bonifacio VIII. papa inſtituti, eius temporis Chriſtianos non niſi baſilicas ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum viſitaſſe. Quibus tertiam Lateranenſem anno Iubilei ſecundo MCCCL. Clemens VI. adiunxit. At Gregorius XI. ob Deiparæ virginis deuotionem in futuro anno tertij Iubilei quartam addidit ſanctæ Mariæ Maioris, quæ omnes patriarchales erant. Inde illud mirum, quintam patriarchalem eccleſiam ſancti Laurentij extra muros præteritam fuiſſe, dignã

alioqui propter eius excellentiam quæ eodē anno, vt aliæ patriarchales celebraretur. Qua re ab aliquo pontifice animaduerſa, facile cæteris quatuor inſequentibus Iubilei annis addi poterit. Probabilis igitur cauſſa hæc mihi viſa eſt de ſeptem, ſiue etiam nouē Vrbis eccleſiarum frequenti peculariꝗ viſitatione. Qua expedita, quæ de Titulis & Cardinalibus dicere ſupra polliciti ſumus, expediamus.

De Presbyterorum Cardinalium origine, & xxiix. ipſorum titulis antiquis, & xxi. nouis. Cap. II.

DE presbyteris Cardinalib' tractaturus, rem paulò altius à titulorum declaratione, & presbyterorum Cardinalium origine repetam. Tituli igitur erant ſacræ ædes, vel (vt nunc dicimus) eccleſiæ, ſiue loca conſecrata, in Dei, beatæ Virginis, & ſanctorum hominum honorem vel memoriam, à fidelibus Chriſtianis erecta, & per varias Vrbis regiones à Pontificibus Romanis antiquitus diſtincta, in quibus animarum cura à presbyteris qui in eis commorabantur, habebatur. Quibus qui præerant presbyteri, vocabantur Cardinales, hoc eſt, principales, ſimilitudine à quatuor ventis cardinalibus, id eſt (vt ait Seruius ſupra Virgilium) principalibus deducta. Non enim in omnibus ſacris ædibus ſiue eccleſijs animarum cura gerebatur, ſiue (quod idem eſt) ſacramen-

ta adminiſtrabãtur, ſed tantũ in hiſce titulis, in quorũ ſingulis quũ plures eſſent clerici, q vel ſacrãmẽta populis exhiberẽt, vel exhibẽtibus pſto eſſent, vt ſubdiaconi, diaconi, & presbyteri: is q omnibus præerat presbyter, à cæteris clericis illius tituli, vel à Rom. Pontifice creatus, dicebatur Cardinalis, quòd omnium dignior principaliorúe eſſet eorum qui in eo titulo permanebant, cæterosq́ clericos tituli ſibi commiſſi gubernaret & regeret. Quorum originem Romæ hanc fuiſſe accepi. Quum beatiſſimus apoſtolorum princeps Petrus catholicæ Romanę eccleſiæ Pontifex, primus verbi miniſterio in orientalibus eccleſijs præcipuè Hieroſolymis & Antiochiæ ritè inſtituto, in vrbem, vt Romanã eccleſiam conſtitueret, veniſſet, ex omni fidelium multitudine, præcipuisq́ noſtræ religionis cultoribus, viros quoſdam ſeniores, & qui bonum teſtimonium ab his qui foris ſunt, habebant, plenos ſpiritu ſancto & ſapientia, ſpectatæ fidei & raræ probitatis, Hieroſolymitanæ, cæterarumq́ orientalium eccleſiarum exemplo delegit: hi clerici vocati ſunt, quos per manuum impoſitionem partim presbyteros, & partim diaconos conſecrauit: quorum opera pontifex ipſe ſiue epiſcopus Romanus in inſtruenda creſcente tunc eccleſia vteretur, quum ei vni tot millibus hominum ad fidem Chriſti quotidie venientium conſulere non eſſet integrum.

Porrò autem presbyterorum, & diaconorũ munia, vt pro ſe quiſq; ſuum officium & noſceret & impigre faceret, diuidere in primis conducibile viſum fuit. Itaq; ſummam rerum, animarum ſcilicet curandarum negocium, presbyteris commiſit, vt ſacramenta eccleſiaſtica plebi Dei adminiſtrantes, orationi, & miniſterio verbi cum epiſcopo vacarent. Diaconis autem, vt viduis, pupillis, & alijs fidelibus egenis, ex Chriſtianorum eleemoſynis ab ipſis cuſtoditis ſubuenirent, curã demandauit: eiſque iniunxit, vt presbyteris quoq; ſacra facientibus præſto eſſent. Quorum omnium numerus quum antea modicus & incertus eſſet, ei modum ſtatuerunt Cletus & Euariſtus Romani Pontifices. Cletus enim (vt ex Damaſo auctor eſt Bibliothecarius) presbyteros Romæ ad xxv. numerũ redegit. Euariſtus verò Apoſtolorum inſtituto ad ſeptenarium numerum diaconos in eccleſia Romana auxit. Quibus etiam illud addidit, vt epiſcopum prędicantem propter ſtilũ veritatis cuſtodirẽt. Cæterùm ne preſbyterorum adminiſtratio in promiſcuo eſſet, ipſe Euariſtus, qui quartus poſt B. Petrũ Apoſtolum epiſcopus Romanus fuit, annum circiter ſalutis centeſimũ, titulos vel (vt nũc dicimus) parœcias in Vrbe primus presbyteris diuiſit, vt ſinguli à ſe inuicem ſecreti, in ſua Vrbis regioné, titulo vel parœcia, confu-

m erudientes, ſacramenta Dei omnibus ad
venientibus Chriſtianis exhiberent, ſingu
sq; presbyteros in vnoquoq; titulo collo-
uit. Sufficere enim tum viſus eſt is nume-
s, propter credẽtium paucitatem. Verum
aud ita multò pòſt, fidelium quotidie cre-
entium multitudine permotus Hyginius
. Romanus pontifex, quum tot credẽtibus
on ſufficerent, plures in vnoquoq; titulo
m clericos, tum presbyteros eſſe voluit.
uod his verbis in eius vita innuit ex Dama
Anaſtaſius. Hic clerum compoſuit, & diſtri
uit gradus. Hinc presbyterorum Cardina-
um nomen manaſſe crediderim, vt is ſcili-
t eſſet presbyter Cardinalis. i. principalis,
cæteris presbyteris eiuſdẽ tituli (quos plu
s ab Hyginio factos fuiſſe dixi, quum ante
nus tantum per ſingulos titulos presbyter
iſſet) præeſſet. Satis enim conſtat, aliquot
nis poſt, etiam ante ſancti Syluestri tem-
ra, Cardinalis nomen in Romana Eccle-
vſurpari cœptum fuiſſe, quod non niſi
Hyginij papæ inſtituto oriri potuit,
um antea eo nomine opus non eſſet, quòd
ſi vnus per ſingulos titulos presbyter le-
us fuiſſet. Poſt Hyginij tempora in preſ-
yterorum Romanorum titulis nullam
utationem factam inueni, vſque ad Dio-
yſij papæ pontificatum. Nam circa an-
m CHRISTI CCLX. Dionyſius xxvj.
omanus pontifex, Euariſti exemplum ſe-

cutus quum iam Chriſtiana pietas mirum in modum in ea Vrbe aucta eſſet, denuo titulus vel parœcias Romæ, quum eas ampliaſſet, presbyteris diuiſit, ipſasq́ quò quiſq́ ſuis limitibus finibusq́ contineretur, diſtribuit, pluribus per ſingulas vt Hyginius fecerat, presbyteris conſtitutis. Presbyterorum quoque Romanæ Eccleſiæ curæ cœmeteria adiunxit, quæ quia plura erant, ea inter presbyteros diſtribuit gubernanda, vt martyrum ſepulchris conſultum eſſet. Quod Damaſus his verbis breuiſſimè exponit: Hic presbyteris diuiſit eccleſias & cœmeteria; & parœcias & diœceſes conſtituit. Cæterùm non longe poſt circiter annum Chriſti CCCV. Marcellus XXXI. papa titulos Vrbis ab Euariſto antiquitus & primò presbyteris datos, numero limitauit, decreto ſtatuens, XXV. Romæ quaſi diœceſes eſſe ad baptiſmatis commoditatem: eorumq́ opportunitate qui ad fidem ex gentibus quotidiè veniebant, quin vt etiam martyrum ſepulchris conſuleretur. Quod ita tradit Damaſus: Marcellus papa XXV. titulos Romæ conſtituit, quaſi diœceſes propter baptiſmum, & pœnitentiam multorum qui conuertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas martyrum. Titulos verò Romanos ſiue parœcias ceſſantibus Gentilium perſecutionibus adauxere, presbyterosq́ plures in ſingulis conſtituere Romani Pōtifices. Siluester qui titulum Equitij, Mar-

us qui titulum ſancti Marci, Iulius qui titulum ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, Damaſus qui titulum ſancti Laurentij, Innocentius qui titulum Veſtinæ fecerunt. Liberius itē, Siricius, Anaſtaſius, Zoſimus, & reliqui epiſcopi Romani. Quum enim infinita Gentium multitudo primùm, deinde Vrbs, & Italia omnis fidem Chriſti ſuſcepiſſent, quū XV. tituli Romæ non ſufficerent, nec hi qui in eis reſidebant presbyteri tam ob neceſſitatem, quàm ad Vrbis & Romanæ Eccleſiæ ornamentum & maieſtatem: & titulorum & presbyterorum in vno quoq; titulo numerus auctus eſt, factiq; ſunt tituli XXVIII. quē numerum nunquam exceſſiſſe vſq; ad noſtra tempora conſtat. Quæ omnes quum Eccleſiæ eſſent vel ædes ſacræ, Deo & Sanctis dicatæ, denominationem ſortitę ſunt vel à diuis, in quorum memoriam vel honorem dedicatæ erant, vt ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, S. Chryſogoni, S. Ceciliæ, S. Anaſtaſiæ, S. Marci, & ſimilium; vel ab eis hominibus qui ipſos titulos condiderunt, vt Calliſti, Iulij, Damaſi, Paſtoris, Equitij, Pammachij, Byzantij, Lucinæ, Veſtinæ, Eudoxiæ, Faſciolæ, Tigridis, & ſimilium. Viginti porrò octo titulorum numerum circa Leonis I. Papæ tempora expletum fuiſſe, multis coniecturis & rationibus ductus crediderim. Neque enim facilè poſt Leonem ipſum Papam inueniri poteſt aliquem Romanorum pontificum titulum,

quempiam nouum ſupra xxviij. addidiſſe: ſed tantum eos de vna eccleſia ad aliam tranſtuliſſe, vel mutaſſe, vel reſtituiſſe, aut exornaſſe. Vetuſtiſſimi autem xxviij. tituli Vrbis Romæ, qui ante milleſimum & ſexageſimũ annũ fuerũt, quos tam ex actionibus ſynodi Romanæ ſub Symmacho papa, anno Chriſti CDXCIX. celebratæ, quam ex Anaſtaſio Bibliothecario excepi, ſunt hi:

1. Titulus ſancti Calliſti, alias ſancti Iulij, alias ſanctorum Iulij & Calliſti, alias Calliſti, alias ſanctæ Mariæ Tranſtiberim.
2. Titulus S. Chryſogoni Tranſtiberim.
3. Titulus S. Ceciliæ Tranſtiberim.
4. Titulus S. Anaſtaſiæ ſub Palatio.
5. Titulus Damaſi papæ, alias SS. Laurentij & Damaſi, alias ſancti Damaſi, alias ſancti Laurentij in Damaſo.
6. Titulus S. Marci ad Palatinas.
7. Titulus Equitij, alias S. Silueſtri, alias SS. Silueſtri & Martini, alias S. Martini in Montibus.
8. Titulus S. Sabinæ in Monte Auentino.
9. Titulus S. Priſcæ in Monte Auentino, alias SS. Aquilæ & Priſcæ.
10. Titulus S. Æmilianæ.
11. Titulus Faſciolæ, alias SS. Nerei & Achillei
12. Titulus Tigridis, alias S. Xiſti.
13. Titulus Lucinæ, alias S. Marcelli.
14. Titulus S. Suſannæ ad duas domos, alias

Baſilica ſanctorum duodecim Apoſtolorum, alias titulus ſanctorum Apoſtolorũ Philippi & Iacobi. Cæterùm hæc eccleſia poſterioribus temporibus ſola inter has xxviij. baſilica, non titulus dicta eſt, ab fabricæ (vt opinor) magnitudine.

Titul. S. Cyriaci in Thermis Diocletiani.

. Titulus S. Euſebij.

Titulus Paſtoris, alias S. Pudentis, alias S. Pudentianę, omniũ qui extant vetuſtiſſimus.

. Titulus Veſtinæ, alias SS. Geruaſij & Protaſij, alias S. Vitalis.

0. Titulus S. Creſcentianæ.

1. Titulus S. Clementis.

2. Titulus S. Praxedis.

3. Titulus Eudoxiæ Auguſtæ, alias S. Petri ad Vincula.

4. Titul. Lucinę, alias S. Laurẽtij in Lucina.

5. Titulus S. Nicomedis.

16. Titulus S. Matthæi in Merulana.

27. Titulus Pammachij, alias ſanctorum Ioannis & Pauli.

28. Titulus S. Caij.

Reperitur quoque Romæ ſub Innocentio Papa Titulus Byzantij, verum vel is eſt cum aliquo ex ijs quos ſupra enumeraui, quos multis nominibus vocari vidimus, vel tituli nomen amiſit, vt alijs aliquot titulis accidiſſe paulò pòſt oſtendam, atq; in eius locũ fortè factus fuit titulus ſanctæ Sabinæ.

cu

qui ſub Cœleſtino Papa I. (is Paulo ante Leonem vixit) inſtitutus eſt, vt ex verſibus muſiuarijs, & Bibliothecario conſtat. Quum verò non niſi XXVIII. tituli fuerint, totidem quoq; Cardinales presbyteros fuiſſe neceſſe fuit. Si enim hi tantum presbyteri qui titulis præerant, Cardinales appellabantur, titulíq; tantum XXVIII. Romæ erant, totidem quoq; Cardinales presbyteros eſſe oportebat. Quod ita fuiſſe quum ex multis locis conſtet, tum id apertiſſimè explicat Pandulfus Piſanus Subdiaconus Apoſtolicus, qui vitas Romanorum pontificum ſcripſit in Gelaſij II. Papæ electione, vbi diſertè XXVIII. tantum Cardinales presbyteros numero quodam certo & limitato fuiſſe tum viuos commemorat. Omnes igitur quos ſupra retuli XXVIII. titulos, quinq; exceptis poſterioribus temporibus, eodem nomine præditos extitiſſe, & ad noſtra vſq; ſæcula permanſiſſe conſtat. Quinq; enim illos circa tempora ſancti Gregorij Papæ I. vel paulò antè obſoleuiſſe, titulosq; eſſe deſijſſe, vel aliquos ex eiſdē mutatis nominibus cum his alijs quinq; eſſe neceſſe eſt. Deſunt enim.

Titulus S. Æmilianæ.
Titulus S. Creſcentianæ.
Titulus S. Nicomedis.
Titulus S. Matthæi.
Titulus S. Caij.

Pro quibus in actione Synodi Romanæ

ſub

Gregorio Papa I. circa annum Domini
.celebratæ,& apud Bibliothecarium,hos
inq; repoſitos fuiſſe inueni.

Titulum S. Balbinæ in Monte Auentino.
Titulum SS.Marcellini,& Petri.
Titulum S. Crucis in Hieruſalem.
Titulum S.Stephani in Monte Cœlio,&
Titulum SS.Quatuor Coronatorum.

Qui prioribus xxiij. adiuncti,xxviij. numerum explent, quiq; omnes præter vnum noſtra adhuc ætate extant. Deeſt enim titulus S. Cyriaci in Thermis Diocletianis, qui quum præ vetuſtate corruiſſet, ea æde profanata, Titulus à Xyſto papa IIII. ad eccleſiam SS.Quirici & Iulitæ tranſlatus eſt,vbi & hodie perſeuerat. Cæterùm ex quinq; vetuſtis titulis qui eſſe deſierunt, Titulum ſancti Matthæi in Merulana ab alijs diuerſum eſſe apertè liquet, quum nunc etiam ea Eccleſia vetuſtiſſima extet, quod de alijs quatuor titulis minimè dici poteſt,quum eorum nulla amplius memoria ſuperſit. Eos ego non leui coniectura ab alijs diuerſos eſſe exiſtimo, & temporis iniuria quũ tituli honore à Romanis põtificibus qui ſecuti ſunt, quò nouos ab ſe erectos ea dignitate ornarent, ſpoliati eſſent,omnino labefactatos, ita vt nullum eorum amplius veſtigium extet. Quum verò non niſi quatuor, reliquæ eſſent patriarchales baſilicæ, ſeptem in ſingulis presbyteris Cardinalibus diſtributis,ſicut XXVIII. Cardi-

dinalium numerum, ita & titulorum.

Baſilicæ ſancti Petri in Vaticano, quæ habet Archipresbyterum, qui eſt Cardinalis, & Canonicos ſæculares, miniſterio, eadem ratione, qua baſilicæ Lateranenſi vij. epiſcopi, ita huic aſſignati ſunt ſeptem presbyteri Cardinalis, hi fuere:

Presbyter Cardin. tituli S. Mariæ Tranſtiberim.	Die Solis.	
Presbyter Cardin. tituli S. Chryſogoni.	Die Lunæ.	Miſſam
Presbyter Cardin. tituli S. Cecilię.	Die Martis.	
Presbyter Cardin. tituli S. Anaſtaſiæ.	Die Mercurij.	ad ſanctũ
Presbyter Cardin. tituli S. Laurentij in Damaſo.	Die Iouis.	Petrũ ce-
Presbyter Cardin. tituli S. Marci.	Die Veneris.	
Presbyter Cardin. tituli S. Martini in Montibus.	Die Saturni.	lebrabãt.

Baſilicæ S. Pauli apoſtoli extra muros Vrbis via Oſtienſi, quæ pro rectore habet abbatem & monachos ordinis ſancti Benedicti, miniſterio ob eandem cauſſam qua & Lateranenſi & S. Petri Baſilicis vij. alij attributi

ſunt

unt presbyteri Cardinales, qui fuerunt:

resbyter Cardin. tituli S. Sabinæ.	Die Dominico	
resbyter Cardin. tituli S. Priſcæ.	Feria ij.	Miſſas
resbyter Cardin. tituli S. Balbinæ.	Feria iij.	ad ſanctū
Presbyter Cardin. tituli SS. Nerei, & Achillei.	Feria iiij.	
Presbyter Cardin. tituli S. Xyſti.	Feria v.	Paulum
Presbyter Cardin. tituli S. Marcelli.	Paraſceue	canerēt.
Presbyter Cardin. tituli S. Suſannæ.	Sabbato.	

Baſilicæ Patriarchalis S. Mariæ Maioris in Eſquilijs, quæ habet Archipresbyterum, qui eſt Cardinalis, & Canonicos ſæculares, obſequio eadem ratione qua ſupradixi aſſignati ſunt hi vij. alij presbyteri Cardinales.

Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. xij. Apoſtolorum.

Presbyter Cardinalis tituli S. Quirici in Thermis, alias SS. Quirici & Iulitæ.

Presbyter Cardinalis tituli S. Euſebij.

Presbyter Cardinalis tituli S. Vitalis.

Presbyter Cardinalis tituli SS. Marcellini, & Petri.

Presbyter Cardinalis tituli S. Pudentianæ.

Preſ.

Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis. Qui ſinguli ſingulis diebus hebdomadæ ſacra facerent ſuper aram maximam Baſilicæ S. Mariæ Maioris.

Patriarchalis Baſilica S. Laurentij extra muros Vrbis via Tiburtina, quæ olim habebat Abbatem & monachos Cluniacenſes, nunc eſt Cardinali commendata, habetq; canonicos regulares congregationis S. Saluatoris Bononiæ: obſequijs in miſſarum celebratione aſſignati fuerunt vij. hi reliqui presbyteri Cardinales.

Presbyter Cardinalis tituli S. Praxedis.

Presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula.

Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentij in Lucina.

Presbyter Cardinalis tituli S. Crucis in Hieruſalem.

Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani in Monte Cælio.

Presbyter Cardinalis tituli SS. Ioannis & Pauli.

Presbyter Card. tituli SS. Quatuor Coronatorum.

Si igitur ſingulis ex his quatuor Baſilicis Patriarchalibus vij. presbyteri Cardinales adſcribantur, neceſſariò xxviij. presbyteri, & totidem tituli Cardinales erunt.

Perdurauit autem hic xxviij. presbyterorum Cardinalium, & titulorum integer nume-

merus, vt ex Pandulfo Piſano in vita Gelaſij II. intelligitur, egóq; ex antiquis diplomatũ ſubſcriptionibus obſeruaui, vſq; ad Honorij Papæ II. pontificatum, & annum CHRISTI MCXXV. Quo tempore hic ordo, & numerus paulatim negligi cœpit. Morientibus enim Cardinalibus presbyteris (idem etiam de diaconis vt pauló pôſt oſtendam intelligendum) tunc primum titulis ipſis ſuo rectore, vel presbytero Cardinale orbatis, per pontificem de nouo presbytero Cardinale prouideri deſitum, neq; (vt antiqua conſuetudo erat) ſtatim in defuncti, vel abdicãtis locum alter amplius Cardinalis ſubrogabatur, quare factum eſt, vt presbyterorum Cardinalium numerus ſenſim decreſcere cœperit, & proceſſu temporis adeo paulatim diminutus eſt, vt aliquando tempus fuerit, in quo non niſi duo presbyteri Cardinales viuentes in collegio eſſent, quemadmodum accidit ſub Alexandri Papæ IIII. obitu, & Vrbani IIII. creatione anno ſalutis MCCLXI. Tituli interim vel ſine Cardinalibus erant, ſed ab Archipresbytero ſuo aut Canonicis regebantur, vel alicui ex collegio Cardinali à pontifice commendabantur. Vtriuſq; rei exempla extant. Eadem de diaconijs ratio erat. Cur verò Honorius ipſe II. id primum cœperit, & eius exemplum poſteriores Romani pontifices imitati fuerint, cauſa hæc fuit. Sub Calliſto II. qui ante Honorium II.

ſtatim pontifex fuit, pax inter Romanam eccleſiam, & imperium ſub Henrico V. Imperatore poſt diuturnum diſſidium, & ſchiſmata exorta, facta fuerat, in qua inter alia multa cautum fuit, vt Romani pontificis electio ad Cardinales clerumq́ꝫ vrbanum tantum pertineret, neqꝫ amplius Imperatoribus ius aliquod, quod aliquando vſurpauerant, in eius creatione eſſet. Quapropter quum ob Cardinalium multitudinem multa ſchiſmata in nouis Romanorum pontificum comitijs orirentur, nondum enim lex de duabus Cardinalium partibus inſtituta erat, vt huic malo obuiam irent Romani Pontifices, Cardinalium numerum paulatim diminuere cœperunt, & qui primus additis xviij. diaconis, ſeptemq́ꝫ epiſcopis, certus & determinatus liij. erat, ſenſim dilabi, & ad incertum numerum reduci cœpit, vetuſto tamen ſemper lõgè minorem. Primum enim ex liij. ſub Innocentio II. vel Cæleſtino II. xl. eſſe cœperunt, deinde xxxv. mox xxx. poſtea xxv. ad hæc xx. poſt xv. demũ x. nouiſſimè (vt dixi) ad eã paucitatem aliquãdo redacti ſunt, vt nõ niſi viij. Cardinales viuẽtes eſſent, quatuor preſbyteri, & totidem diaconi, quando Nicolaus papa III. creatus eſt anno ſalutis MCCLxxvj. etenim Cardinalium numerus vſqꝫ ad id tẽpus, quo pauciores Cardinales nunquã fuerunt, diminui non deſijt. Poſt quod ſe rerum periodo vertente, ſemper augere cœpit vt

eſſent

eſſent x v. deinde x x. quemadmodum ſub Bonifacio VIII. Auenione quoq; quanquam paulatim eorum numerus iterum creſcere cœperit, nunquam tamen vſq; ad Xyſti IIII. pontificatum xxx. numerum attigerũt, præſertim quum in Concilio Conſtantienſi cautum fuerit, nę pluſquàm xxiiij. Cardinales viuentes ſimul eſſent. Primus papa Xyſtus IIII. Cardinalium numerum maximè ampliauit, trigintaq; ſupergreſſus eſt. Cuius exemplum ſecutus Alexander VI. papa ad Cardinales plus minus quinquaginta ſimul viuentes collegium auxit, nemo tamen horũ pontificum antiquum LIII. numerum exceſſit. Verum Leo Papa X. primus omnium Romanorum põtificum magna illa vnius & xxx. Cardinalium lectione veterem & antiquum numerum quinquaginta trium ſuperauit, quum ſub eius pontificatu Cardinales lxv. ſimul viuentes fuerint, quod nunq̃ alias contigerat. Eius exemplũ ſecuti ſunt Paulus III. Paulus IIII. & Pius IIII. quorum prior ad lxiij. numerum Cardinales auxit, ſequẽs ad lxx. tertius ad lxxvj. ad quẽ numerũ nunquã prætereà Cardinales attigiſſe ſatis conſtat. Quare quũ presbyteri Cardinales numerũ illũ veterẽ xxviij. exceſſerint, nouis titulis, opus fuit, vt nouis illis tribuerẽtur Cardinalibus, qui xxviij. numerũ excedebant. Hanc ob cauſam primus poſt mille annorũ interuallũ Calliſtus III. papa nouũ titulũ addidit

anno MCDLVIII. qui fuit S. Calliſti propè eccleſiam S. Mariæ Tranſtiberim, quem ſororis filio Ludouico Milano Cardinali presbytero ab ſe creato conceſſit.

Secundus, Xyſtus IIII. nouum titulum addidit anno MCDLXXVIII. qui fuit titulus S. Nicolai inter imagines propè Amphitheatrum ſiue Colloſeum, quem presbytero Cardinali Petro Foſcaro Veneto ab ſe creato dedit.

Tertius, Leo papa X. magna illa xxxj. Cardinalium creatione anno Domini MDXVII. antiquiſſimum titulum S. Matthæi in Merulana, qui per mille & amplius annos tituli honorem amiſerat, reſtituit, & x. alios nouos titulos ex vetuſtiſſimis Vrbis eccleſijs fecit, qui fuerunt:

Titulus S. Ioannis ante portam Latinam.
Titulus S. Cæſarij in Palatio.
Titulus S. Hagnetis in Agone.
Titulus S. Apollinaris.
Titulus S. Laurentij in pane & perna.
Titulus S. Silueſtri in campo Martio.
Titulus S. Thomæ in Parione.
Titulus S. Pancratij.
Titulus S. Bartholomæi in Inſula, alias inter pontes.
Titulus S. Mariæ in Capitolio, alias de Aracæli.

Quartus. Papa Iulius III. anno MDLIII. tres nouos titulos adiunxit, hi fuere:

Titulus S.Marię in Via.

Titulus S.Barbaræ.

Titulus S.Simeonis.

Quintus.Paulus IIII.anno MDLVII.titulum nouum adiunxit, videlicet titulum S. Mariæ ſuper Mineruam, conceſſum Fratri Michaëli Ghiſlerio Cardinali Alexandrino.

Sextus. Pius IIII. papa anno ſalutis MDLXIIII.nouum titulum addidit eccleſiam ab ſe reſtitutam S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletiani, quem Ioanni Antonio Sorbellono Cardinali ab ſe creato aſſignauit.

Nouiſſime Pius V. papa anno M D L X V I. quum Cardinalibus à Pio IIII.creatis nouos titulos dediſſet,tres erexit,hi fuere:

S.Triphonis.

S.Hieronymi Illyricorum.

S.Euphemiæ in Vico Patricio.

Tituli igitur noui facti xxj. ſunt, vnus à Calliſto III. vnus à Xyſto IIII.vndecim à Leone X.tres à Iulio III. vnus à Paulo IIII. vnus à Pio IIII. tres à Pio V. quibus xxviij.antiquis additis,erunt omnino xlix.

De diaconorum Cardinalium origine, & ipſorum duodecim antiquis Diaconijs.

Cap. III.

Diaconis autem, id eſt miniſtris, quos ad ſeptem Euariſtum Romæ auxiſſe dixi, quum ante præſcriptum ſibi & certum locum non haberent, ſed eorum mu

nia in promiſcuo eſſent, primus ſingulis Vrbis regiones Fabianus Papa XXI. diuiſit circa annum Chriſti CCXL. vt vnuſquiſq; in ſuis regionibus pauperum Chriſtianorum inopię de Eccleſiaſticis theſauris, & fidelium oblationibus à Subdiaconis collectis, atq; ab ipſis cuſtoditis, quantum in ſe eſſet, ſubueniret. Presbyteris quoq; parœciarum in ſuis regionibus conſtitutis, in omnibus quæ ad ſacra pertinerent miniſtraret, ex quibus primum vel antiquiorem, cum epiſcôpi, cleri, populiq́; conſenſu electum Archidiaconum, vel Diaconum Cardinalem, id eſt, principalem appellari decretum eſt, quemadmodum & primum presbyterorum, Archipresbyterum. Vnus igitur vetuſtiſſimis temporibus erat tantum Diaconus Cardinalis, primus ſcilicet ex vij. quod apertè colligitur ex actionibus Synodi Romanæ ſub S. Silueſtro Papa celebratæ.

Hoc munere multi nobiliſſimi viri, quod maximæ dignationis erat & auctoritatis, in Romana eccleſia functi ſunt. In his præcipuè beatus martyr Laurentius Xyſti papæ II. Archidiaconus. Durauit autem longo tempore vij. diaconorum numerus, neq; auctus eſt vſque ad annum Chriſti Mille; ni fallor, nunquam enim ante id tempus maiorem diaconorum numerum in eccleſia inueni. Quum igitur non niſi vij. eſſent, ſinguliq́; diaconi duabus regionibus præeſſent (in xiiij. enim regiones

Ro-

ma tūc diuidebatur) poſtea ſtatutū eſt, vt
ſingulis Vrbis regionibus ſinguli diaconi
ent, atq; xiiij. facti ſunt, quorum primus di
atur adhuc Archidiaconus, vel Diaconus
rdinalis, cæteri vero diaconi more veteri
ebantur Diaconi illius, vel illius regionis,
bi gratia, primæ, ſextæ, decimæ, vel xij.
mum aucta Rom. eccleſiæ maieſtate, his
n ſufficientibus, plures in vnaquaq; regio-
& titulis diaconi creari cœpti, eorumq;
merus quemadmodū presbyterorum nō
rdinalium incertus atq; indeterminatus
tus eſt. Dignior verò ſiue antiquior diaco-
s à cæteris eiuſdem regionis clericis, vel
m. pontifice electus, diaconus Cardinalis
pellatus fuit: q̄ ratiōe factū eſt, vt 14. poſtea
rdinales diaconi, totidem. n. erant regio-
s, fuerint, qui ſicut de presbyteris dixi, id-
Cardinales. i. principales dicti ſunt, ad cæ
orum diaconorum non Cardinalium di-
imen, quorum iam numerus in Vrbe val-
auctus fuerat. Quatuordecim Diaconis
rdinalibus regionarijs ante quingentos
nos, quatuor alij additi ſunt diaconi Car-
nales Palatini ad regionariorū differentiā
cati, quod aſſiduè in palatio manerēt, quo
m munus erat Vaticanæ, & Lateranenſi ba
cis, vel Rom. pontifici in ijſdem celebrāti
niſtrare, quos & altaris Lateranenſis mini
os appellatos fuiſſe legi. Quē numerū pri-
s exceſſit Paulus III, ſub quo anno Domi-
C 4 ni

ni MDXLV. decem & nouem diaconi Cardi nales viuentes fuerunt. Quem etiam numerum longè xix. Cardinalium lectione auxit Pius IIII. qui diaconos Car dinales, qđ nunquam antea contigerat, ad xxv. auxit, quanquam haud ita multò pòſt quatuor diaconi Cardinales in presbyteros conſecrati ſint. Quemadmodum enim xxviij. presbyteris Cardinalibus, ſic xviij. diaconis fixus & præſcriptus numerus fuit cum presbyterorum numero, qui (quemadmodum ſupra dixi) poſt Honorij II. pontificatum ſenſim vſque ad iiij. diminutus, & poſtea eſt auctus. Illud poſtmodum ſcitu dignum, quod ab eo vſq; tempore, quo vij. diaconorum numerus adhuc erat, loca vel antiquitus, vel recens fabricata, diaconis in quibus permanerent tradita fuerunt, quæ poſtea ab eorum nomine diaconiæ vocatæ ſunt. Hæ erant ſacræ ædes ſiue eccleſiæ in ſanctorum honorem vel memoriam dicatæ, proximas domos habentes, quemadmodum aliæ Vrbis baſilicæ, & tituli, ſine animarum cura: quum enim eorum cuſtodes diaconi, non presbyteri eſſent, animas non curabant, id eſt, ſacramenta adminiſtrare non poterant, idcirco neq; tituli, neq; parœciæ dicebantur, quanquam eſſet in ſanctorum honorem conſecratæ, ſed diaconiæ, vel martyria à martyrum reliquijs in his conditis. A quibus poſtea ſacris ædibus diaconi ipſi Cardinales regionarij, regionis appellatione

: dimiſſa , cognomina ac diſtinctiones
ti ſunt. Quum enim antiquitus diaconi
num tantum, deinde diaconi Cardina-
llius, vel illius puta tertiæ, quintæ, vel ſe
næ regionis, quarum diaconi erant, dice-
tur, poſtea dici cœpti ſunt diaconi Cardi-
es huius, vel illius diaconiæ cui præerant.
bi gratia ſancti Theodori, ſancti Hadria-
ſanctorum Sergij & Bacchi, ſanctæ Mariæ
ouæ, & ſimilium. Quod presbyterorum
ardinalium exemplo factum exiſtimo, qui
mper cum adiectione illius tituli cui præ-
rant ſe nominabant, vt Ioannes presbyter
Cardinalis S.R.E. Tituli ſanctæ Mariæ Tran-
tiberim, Hi igitur in ſuis diaconijs commo-
rantes demandata ſibi munia in ſua regione
impigrè faciebant, pontificiq; Romano ſacra
facienti præſto aderant, & quum S.R.E. the-
ſaurorum cuſtodes eſſent, pecunias egenis
iuxta ſibi præſcriptas tabulas per ſuas regio-
nes deſtribuebant, patriomonia quoq; Apo-
ſtolicæ ſedis quæ maiores reditus habebant,
gubernabant.

Porrò autem xviij. Diaconias, quæ tot e-
rant, quot erant Diaconi Cardinales, circa
Gregorij papæ primi tempora inſtitui cœp-
tas fuiſſe, non leuibus rationibus perſuaſus
ſum, quando etiam poſterior xxviij. titulo-
rum ſeries facta eſt, ſiquidem non longè poſt
S. Gregorij tempora frequens Diaconiarum
mentio extat: fuere autem primum tantum

ſeptem, totidem autem erant Diaconi, poſt xiiij. demum aucto Diaconorum Cardinalium numero, xviij. factæ. Quarum nomina hæc ſunt:

Diaconia S. Mariæ in Dominica, vbi manebat Archidiaconus.

Diaconia S. Luciæ in circo, iuxta Septiſoſium.

Diaconia S. Maria Nouæ.

Diaconia SS. Coſmæ & Damiani.

Diaconia S. Hadriani.

Diaconia SS. Sergij & Bacchi.

Diaconia S. Theodori.

Diaconia S. Georgij in Velabro.

Diaconia S. Mariæ in Coſmedin.

Diaconia S. Mariæ in Porticu.

Diaconia S. Nicolai in Carcere Tulliano.

Diaconia S. Angeli in Piſcina.

Diaconia S. Euſtathij iuxta Pantheum.

Diaconia S. Mariæ in Aquiro.

Diaconia S. Mariæ in Via lata.

Diaconia S. Agathæ in equo marmoreo.

Diaconia S. Luciæ in Silice, aliàs in Orthea

Diaconia SS. Viti & Modeſti in macello martyrum.

Has verè Diaconias ſemper fuiſſe legi, & nunq̃, vel nouis additis, vel antiquis ſublatis mutatas, vſq; ad Leonis X. pontificatum, qui primus poſterioribus temporibus Diaconiã nouam adiunxit, quæ fuit:

Diaconia S. Onuphrij in Vaticano, quam

Ioan-

Ioanni Cardinali Lotharingo Diacono ab ſe creato tradidit.

Diaconiæ autem ita erant à titulis diſtinctæ, vt nulla ratione neq; presbyter Cardinalis Diaconiam, neque Diaconus Cardinalis Titulum vnquam habuerit. Sed ſi quando accidiſſet diaconũ Cardinalẽ in presbyterũ conſecrari, is relicta diaconia, quã ad eã vſq; diem obtinuerat, titulũ accipiebat. Quẽ ordinem non ſeruauit Xyſtus papa IIII. quem oẽs eius ſucceſſores vſq; ad Pium V. poſtmodum ſecuti ſunt. Xyſtus.n. ſecunda Cardinaliũ lectione anno Domini MCDLXXIII. primũ presbyteris Cardinalibus ab ſe creatis titulorum loco Diaconias dedit. Econtra. Alexander VI. primus titulos qui presbyterorum Cardinalium tantum eſſe debent, diaconis Cardinalibus pro diaconijs conceſſit. Reſq́ue adeò inualuit, vt ad noſtra vſque tempora nullus ferè titulus ſit, qui Diaconum, & è contra nulla ferè Diaconia, quæ presbyterum Cardinalem non habeat, vel habuerit. Apud veteres quoq; conſuetudo per mille, & ducentos cõtinuos annos in Romana eccleſia vſurpata fuit, vt neque diaconi diaconias ſemel acceptas, neque presbyteri titulos, neque epiſcopi Cardinales epiſcopatus ſuos nunquam mutarent. Diaconus enim in diaconi ordine permanens, ſemel acceptam Diaconiam non dimittebat, ſimilis de presbyteris, & epiſcopis Cardina-

libus ratio erat. Sed ſi diaconus Cardinalis presbyter conſecrari volebat, dimiſſa diaconia quæ presbyteris non conueniebat, titulum vacantem à pontifice obtinebat, neque eũ alio titulo ſuſcepto relinquebat, niſi epiſcopus Cardinalis renuntiari contigiſſet, Quo caſu dimiſſo titulo epiſcopatum vacantem à papa ſuſcipiebat, quem (niſi Romanus pontifex creatus eſſet) vſq; ad obitum retinebat, ita vt nullus optioni locus eſſet, qua ratione fiebat, vt diaconi, presbyteri, & epiſcopi Cardinales diaconias, titulos, & epiſcopatus ſuos magis colerent, & exornarent, reſtituerent & augerent, quos dum viuerent eſſent retenturi. Nunc Cardinales optionis lege multos titulos & diaconias obtinere poſſunt. Cuius rei initium ortum eſt tempore Alexandri V. in Concilio Piſano anno Domini MCCCCX. in quo cũ ob ſchiſma contigiſſet, ſacerdotia Cardinalitia duos ad minus habere Cardinales, vnum vnius obedientiæ Auinionenſis, alterum alterius Romanæ, ſublato ſchiſmate, vnitiſq; vtriuſq; Collegij Cardinalibus, & nouo pontifice creato has mutationes fieri tum neceſſe fuit, vt vnus ex duobus qui in ſchiſmate epiſcopatum Tuſculanum obtinebat, eo alteri dimiſſo, Sabinum tunc vacantem cooptaret. Ita in titulis, & diaconijs factum eſt. Quæ res quanquam neceſſaria tunc fuit, in exemplum tamẽ tracta, poſtea frequentari cœpta eſt, occaſione

ab

ab eo exemplo accepta. Atq; hac ratione factum eſt, vt aliquando Cardinalis quiſpiam fuerit, qui diaconus initio creatus, tres & quatuor diaconias, poſt presbyter factus, totidem titulos, demum epiſcopatus omnes, qui ſex ſunt, cooptauit. His in vniuerſum explicatis, nunc de ſeptem Vrbis præcipuis Eccleſijs ſpeciatim diſputemus. Quarum prima quæ viſitari conſueuit, eſt baſilica S. Petri in Vaticano.

De Baſilica Sancti Petri Apoſtolorum Principis in Vaticano.

Cap. IIII.

SEptem Vrbis Eccleſiarum viſitationem pius & deuotus Chriſtianus adornans, pridiè aut triduo ante, peccatorum ſuorum ſalutarem ſacerdoti confeſſionem facere opportunum erit. Commodiſſimè verò celebritatem auſpicabitur à toto terrarum orbe auguſtiſſima baſilica S. Petri Apoſtoli Vaticana. De cuius præſtantia loquens D. Gregorius Papa dialogorum lib. 3. Quod ſi cuncta (inquit) quæ in beati Petri eccleſia geſta ſunt euoluere quis conetur, ab omnium iam proculdubiò narratione conticeſcet. Hanc baſilicam in monte Vaticano paruæ eccleſiæ forma (vt tradit Damaſus Papa) primus ædificauit ſub ipſa B. Petri apoſtoli morte Anacletus presbyter S.R.E. ab eodem Petro ordinatus, & tertius ab eo poſtea Pontifex

fex Romanus creatus,iuxta viam triumphalem Caij,quæ & Neronis circum,quo loco idem apoſtolus Neronis iuſſu pedibus in ſublime eleuatis,cruci affixus fuerat.Hinc Gregorius IX.papa in epiſtola quadam ſcribit,baſilicam B.Petri Apoſtoli, vt tempore omnibus priorem,ita etiam honoris dignitate prę ſtantiorem eſſe.Idem verò Anacletus poſtea pontifex factus, inſtituit, vt reliqui epiſcopi Romani eò loci ſepulturę traderentur.Hinc Linus,Cletus,ipſe Anacletus,Euariſtus, Xyſtus, Theleſphorus, Hyginius, Pius,Eleuterus, Victor ſancti benedictiq; pontifices,eodem in loco ſepulti traduntur à Damaſo. Caius quiſpiam ſcriptor eccleſiaſticus,qui cum S.Zephyrino papa Victoris ſucceſſore aduerſus Proclum hæreſis cataphrygarum principem diſputauit, hæc verba de locis,vbi ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli poſita ſunt tabernacula ſiue cœmeteria,ſcripſit. Ego verò trophæa Apoſtolorum habeo quæ oſtendere poſſum. Si enim procedas via triumphali quæ ad Vaticanum ducit, aut via Oſtienſi,eorum inuenies trophęa,quibus ex vtraq; parte ſtatutis, Romana communitur eccleſia. Vetuſtiſſimam S. Petri memoriam (vt eam Damaſus vocat(ſiue martyrium vel confeſſionem (vt eam S.R.E. protonotarij, qui Græcè Latineq; res geſtas martyrum ſcripſerunt) appellant,deſtruxiſſe videtur nefarium naturæ monſtrum Heliogabalus Im-

perat

perat. quum (Lampridius tradit) ſepulchra vaticana, quo elephantorum quatuor quadrigas laxius & commodius agitaret, quæ obſiſtebant, diſieciſſet. Quo tempore S. Calliſtus Papa, qui B. Zephyrino ſucceſſit, corpus Apoſtoli Petri ex cœmeterio vaticano diruto, ad catatumbas iuxta cœmeterium ab ſe ad ſecundum ab Vrbe via Appia lapidem extructum, cum corpore ſancti Pauli tranſtulit, vbi ſub altari marmoreo quod adhuc extat, vſque ad Cornelij Papæ pontificatum per annos circiter XXX. iacuerunt, ſub Romanis pontificibus Calliſto ipſo, Vrbano, Pontiano, Antero, Fabiano, & Cornelio. Nam Damaſus auctor eſt, Sanctum Cornelium papã Lucinæ matronæ Romanæ rogatu, corpora Apoſtolorum Petri & Pauli à catatumbis noctu ſuſtuliſſe, & prioribus ſuis locis relocaſſe. Primùm quidem corpus beati Pauli, beata Lucina poſuit in prædio ſuo via oſtienſi iuxta locum vbi decollatus fuerat. S. verò Petri corpus accepit Beatus Cornelius epiſcopus, & poſuit iuxta locum vbi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorum epiſcoporum in Vaticano. Septuageſimo demum poſt Sanctum Corneliũ anno, pius Conſtantinus Imperator, diuinitus ad Chriſti fidem miraculoſa crucis in cœlo viſione conuerſus, Chriſtiana religione optimis & ſalutaribus legibus cõtra hoſtes noſtros communita, tum in vrbe, tum per totum orbem

Ro-

Romanum,multa & maxima Chriſto & ſanctis eius templa cōſtruxit. Romæ quidem & in vicinis oppidis rogatu S. Silueſtri papæ, qui eum noſtræ religionis ſacris initiaſſe traditur,decem magnifica templa condidit. In his,Cai & Neronis circo diruto,baſilicam vaticanam cētum marmoreis nobilibusq; ſublimem columnis B. Petro erexit, ſiue potius reſtituit, veteremq; eccleſiam amplificauit. In cuius fundamētis iaciendis fuerūt Pium Imp.primum omnium rāſtro ſolum effodiſſe,12.aggeris & glebarum ſportulas inde aſportaſſe.In cuius fundamentis iacendis, ferunt pium Imperatorem primum omnium raſtro ſolum effodiſſe, duodecimq; aggeris & glebarum ſportulas inde aſportaſſe, duodecim Apoſtolorum honori id tribuens. Quam eccleſiam à S.Silueſtro,xiiij. Kal. Decembris dedicatam, multis ornamentis donauit,maximis prouentibus auxit. De ea re extabant in arcu abſidæ maioris hi verſiculi muſiueis literis ſcripti.

Quod duce te mundus ſurrexit in aſtra triumphans,
Hanc Conſtantinus victor tibi condidit aulam.

Eccleſia S.Petri veteris antiquorum Baſilicæ inſtar ædificata,habuit abſdam ſiue tholum, muſiueis ſignis ornatam, tranſuerſam partem quam crucem vocamus,quinq; porticus intercolumnijs diſtinctas,quas naues dicimus,medianam maiorem,binas ex vtraque

que parte minores, ampliſſimo periſtylio, & magnis pulcherrimisq́ columnis ſuſtentatas. Innocentius III. papa abſidæ muſiuum antiquum vetuſtate conſumptum reſtituit, Chriſti ſanctorumq́ figuris exornauit, vt indicant hi verſiculi:

Innocentius III. Papa.

Summa Petri Sedes, hæc eſt ſacra principis ædes,
Mater cunctarum & decor & decus eccleſiarum.
Deuotus Chriſto qui templo ſeruit in iſto,
Flores virtutis capiet fructusq́ ſalutis.

Baſilicæ tectum à diuerſis pontificibus renouatum, æreis tegulis ex téplo Iouis Capitolini tranſlatis cooperuit Honorius papa, quem collabentem refecit Benedictus XII. Toloſanus, Pontifex maximus.

Pauimentum marmoreis & prægrandibus tabulis varij coloris ſtrauit Symmachus Papa, ſub quibus in loculis dormiunt multi ſancti Pontifices.

Periſtylij picturas muſiueas fecit Nicola' III. papa. Totam eccleſiam picturis exornauit Formoſus Papa. Gregorius IX. frõtem Baſilicæ ſupra porticum muſiueis ſignis condecorauit, hosq́ verſiculos appoſuit:

Ceu ſol feruescit ſydus ſuper omne niteſcit,
Et velut eſt aurum, rutilans ſuper omne metallum,
Doctrina quæ fide callet, & ſic pollet vbiq́,

Guidonibus nuncupata, qui peregrinos ad limina Apoſtolorum venientes, ea in eccleſiam introducebant, cũcta illis memoratu aut viſu digna oſtendentes. Sexta, eſt porta ſancta recẽs addita, quæ vigeſimoquinto quoq; anno Iubileo redeũte aperitur, & eo exacto clauditur. Super his portis appenſæ ſunt catena portus Smyrnenſis, & vectes eius vrbis, Xyſto IIII. pontifice maximo à claſſe eccleſiaſtica, cui Oliuerius Carafa Cardinalis Neapolitanus cum imperio præerat, de Turcis captæ: item vexillorum aliquot haſtæ, iiſdẽ Dei hoſtibus ereptæ. Ante baſilicam erat quadriporticus à Conſtantino facta, cuius etiã nunc extant reliquię. Quam Symmachus papa tabulis marmoreis ſtrauit, & muſiueis ſignis ornauit, Conſtantinus papa ſex ſanctarũ ſynodorum generalium picturam in eadẽ poſuit. Cuius atrium ſiue impluuiũ, quod Paradiſus dicitur, Domnus papa marmoreis quadris conſtrauit. In cuius medio Symmachus papa cantharum (id eſt fontem) fecit, columnis octo porphireticis ornatum: cuius operculum æneum, pauonibus ex mole Hadriani erutis, & Delphinis inauratis aquã funden tibus, decorauit. In cuius medio pineã æneã locauit, qua per ſubterraneos ſcyphones & plumbeas fiſtulas aqua ex forma Sabbatina publicæ cõmoditati corriuabatur. In eodem atrio, marmoreo ſolio, quod adhuc extat iuxta portã, ſepultus eſt Otto II. Imp. Honorius

etiam & Placidius Valentinianus Auguſti, ibidem collocati fuere. In eius pariete extant è muſiuo deuotiſſimæ Chriſti & Apoſtolorũ in mari turbato exiſtentium imagines, Ioti pictoris opera (vt fama eſt) factæ.

Gradus marmoreos ante baſilicam fecit Conſtantinus Imperator. Symmachus papa amplificauit. Pius II. papa additis SS. Apoſt. prægrandibus ſtatuis reſtituit.

His expeditis ad altare maius explicandũ regrediamur. Erecta igitur vaticana baſilica, Conſtantinus Imperator tum altare etiam maius fundauit maximis quadratis marmoreis tabulis conſtitutum, vnà ſemper cum B. Siluestro papa benedicente omnia & conſecrante, habito quoq; magno epiſcoporum aliorumq; ſacerdotum & clericorum Cõuentu, concurrentiq; ſimul plurima exultantiũ & Deum laudantium Chriſtianorum turba. Poſt quæ non minore etiam cum lætitia ſacratiſſimum corpus S. Petri Apoſtoli ex humiliore loco eductum, ſub altari maiori baſilicæ ipſius, Silueſter, & Conſtantinus ſummo cum honore ita collocarunt. Primo, fabricarunt ei inſignem thecam argenteam ære vndiq; & cupro concluſam, qua decentius conditum eſſet, omni ex latere in longum & in latum ſurſum ac deorſum, pedes V. protenſam, ac deſuper arcam deauratam. Supra quoq; eius ad loculi menſuram poſuit crucẽ

ex

puro auro factam CL. librarum, in qua de
iptum eſt:

CONSTANTINVS AVGVSTVS,
T HELENA AVGVSTA HANC
OMVM REGALI SIMILI FVL-
ORE CONRVSCANTEM AVRO
IRCVNDANT.

Sunt qui ſcribunt, dimidiata corpora Apo
lorum æquali portione diuiſa in vtrorũ-
e Baſilicis, capita vero in ſacello palatij La
anenſis collocata fuiſſe. Supra altare au-
n cui ſubiacet corpus, Sanctus Silueſter
tuit nobile tegmen ſiue ſuggeſtum, quod
orium, ſiue cameram vocabant, argente-
, deauratam quatuor porphyreticis (quæ
huc extant) columnis, erectam, quod po-
a Leo IIII. argento puro eximiè exorna-
. Demum Pius II. marmoreum fecit. At
nſtantinus poſuit ante altare S. Petri ad
ſilicæ ornatum xij. columnas vitineas ele-
ntiſſimas ex Græcia tranſlatas. D. Hiero-
mus aduerſus Vigilantium teſtatur, Ro-
num Pontificem ſuper Petri & Pauli oſſa
eranda offerre domino ſacrificia, & tu-
los eorum Chriſti arbitrari altaria. Diuus
guſtinus epiſt. 42. ad Madaurenſes: Impe-
Romani nobiliſſimi eminentiſſimum cul
n ad ſepulchrum piſcatoris Petri, ſubmiſ-
diademate ſupplicat.

Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus in epi-

ſtola ad Leonem Papam ait: Sepulchra Apoſtolorum illuminant totum modum. Hoc maius altare S. Petri reſtituit, & ſolemni ritu dedicauit Calliſtus II. Papa, toto aſtāte, quod conuocauerat, generali Concilio mille ferè prælatorum.

Locus porrò ſubtus & ante altare maius S. Petri inferior, propè eius ſepulchrum, eiuſdem S. Petri confeſſio vocatur, voce latina pro martyrio vſurpata: nam quæ Græci martyria, id eſt, martyrum ſepulchra, Latini confeſſiones vocarunt.

Præter altare maius ſancti Petri in antiqua Baſilica xx. alia altaria, partim Sacellis, vel Oratorijs incluſa, partim ſine ædiculis ipſis fuere, quorum breuem epilogum addam.

Primum à dextera altaris maioris, in trāſuerſa baſilicæ parte, quam crucem Eccleſiæ vocant, verſus abſidam fuit oratorium & altare S. Xyſti papæ & martyris, ſub quo à Paſchali II. papa ſepulta fuere corpora ſanctorum pontificum Xyſti ipſius, Fabiani martyrum, & Sergij II. Secundum ſacellum & altare propè ſuperius locatum, fuit Sancti Leonis IIII. papæ, ſub quo Paſchalis II. recondidit corpora ſanctorum pontificum Leonum j. ij. iij. & iiij. Tertium delubrum & altare proximè fuit S. Hadriani papæ, in quo ſeruabatur Cathedra S. Petri Apoſtoli, & ibi ipſe ſepultus eſt, cuius adhuc extat epitaphium in

ſancto Petro in tabula prægrandi è mar-
more Numidico, vel Lucullco. Quartum in
angulo eiuſdem crucis Occidentem verſus,
fuit ſacellum muſiueis figuris ornatiſſimum
& altare Sanctæ Mariæ in Oratorio condi-
tum à Paulo papa, in quo ipſe ſepultus fuit.
Hoc Oratorium ingredi fœminis nefas fuit,
ob multa ſanctorum martyrũm corpora,
quæ idem pontifex ex vicinis Vrbi cœmete-
rijs ablata in eo collocauit. Quintum in alte-
ro eiuſdem crucis angulo orientem verſus
fuit oratorium muſiuo ornatũ, & altare ſan-
ctorum Proceſſi & Martiniani martyrũ à Pa-
ſchali papa conditum, in quo ipſorum corpo-
ra collocauit, & ipſe moriens ſepultus fuit.
Sextum, ſubſequebatur in eadem cruce ori-
entem verſus, ſacellum & altare S. Mauritij:
cuius illa ſingularis erat dignitas, quòd Impe
rator deſignatus, antequàm ad altare S. Petri
à Romano pontifice coronaretur, ibi primũ
ab epiſcopis cardinalibus inungi & benedi-
ci ſolebat.

Huic proximum ſeptimum fuit altare S.
Silueſtri, in quo eiuſdem brachium recondi-
tum fuit, & corpus Vigilij papæ. Octauum o-
ratorium cum duobus altaribus S. Mariæ &
S. Gabinij ab eadem parte tranſuerſæ crucis
sub arcu maiore prope chorum Canonico-
rum in media cruce exiſtentem, fuit B. Ma-
riæ, à Gregorio III. fabricatum, dedicatũ, pul
cherrimis muſiueis figuris condecoratũ, &

infinitis penè reliquijs ſanctorum, in his corporibus B. Gabinij presbyteri, & Petri diaconi, cum quo ſanctus Gregorius dialogorum librum ſcripſit, brachioq́ꝫ S. Stephani protomartyris, ac aureis argenteisq́ꝫ ornamentis locupletatum: in quo ipſe, Eugeniusq́ꝫ III, qui illud reſtituit, ſepulti fuere.

Nonum altare ab eadem parte fuit S. Martialis diſcipuli ſancti Pauli apoſtoli, antiquũ & magnæ venerationis. Hæc omnia altaria, & ſacella fuerunt à dextera baſilicæ in tranſuerſa naui ſupra eccleſiæ periſtylia.

A ſiniſtra parte eiuſdem crucis tranſuerſæ haud procul ab altari maiori, fuit altare decimum ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quod in molitione veteris eccleſiæ trãſlatum fuit inter portam Romanam & periſtylium nauis maioris, cui affixa eſt tabula marmorea, ſuper quam corpora Apoſtolorum à ſancto Silueſtro papa fuerunt diuiſa, vt ex inſcriptione liquet. Hoc porrò altare antequàm ſuo loco moueretur, è regione reſpiciebat.

Altare xj. ſancti Bartholomæi vetuſtum & magnæ deuotionis, cui proxima erat columna marmorea intorta vitibus ornata, quæ adhuc in eccleſia noua ibidẽ propè extat. Cui tantam Deus virtutem præſtitit, vt qui à dæmonibus arrepti ſunt, apud eam diuinis habitis ſupplicationibus liberarentur, quod multis iam certis magnisq́ꝫ exemplis

com-

mpertum habemus. Poſt quod iuxta arcũ
iorem eccleſiæ fuit aliud antiquum duo-
cimum S. Paſtoris altare. Hæc duodecim
aria fuerunt in tranſuerſa baſilicæ naui,
am crucem vocamus, nouem ex dextera,
a à ſiniſtra.

In minoribus verò per longum nauibus
xta baſilicæ murum, quatuor oratoria cũ
aribus fuerunt, duo ex vtraꝗ parte, à dex-
ra quidem S. Andreæ & Gregorij, & S. Tho
æ, à ſiniſtra ſancti Saluatoris, Sudarijꝗ, &
ncti Ambroſij, de quibus paucis aga-
us.

Oratorium S. Thomæ condidit Symma-
ius papa, & multis ornamentis donauit:
lhuc ſupereſt, in quo ſepulti ſunt Innocen-
us VII papa, & aliquot Cardinales. Ibidem
t baptiſterium, quod marmoreo eleganti
ilo olim Probi præfecti prætorio ſepulchrũ
iit.

In eccleſiæ fine vbi ſedent pœnitentiarij,
ſt Oratorium, & altare ſanctorum Andreę,
regorij à Gregorio IIII. factum, ſub quo ia-
et corpus eiuſdem ſancti doctoris. In cibo-
io vero, quod eſt ſupra altare, extat caput S.
ndreæ Apoſtoli, à Pio II. locatum eſt, & Lan
eæ ferrum, quo D. N. Ieſu Chriſti latus per-
oratum eſt, à magno Turcarum rege Baia-
zete Innocentio VIII. Papæ dono miſſum,
d eſt, vnum ex vij. altaribus quæ priuilegijs

& indulgentijs ornata in Baſilica Vaticana extant.

Hac parte Eccleſiæ humi ſepulti fuerunt poſt excitatam à Conſtantino Baſilicam X. pontifices Romani, qui primi poſt Petrũ ſanctam Eccleſiam gubernarunt, præter quos etiam circiter alij xx. qui poſt S. Silueſtrũ fuere, iacent.

A ſiniſtro Baſilicæ latere fuit Oratorium cum ara S. Ambroſij epiſcopi, & doctoris, qđ diu ante Baſilicæ ruinam ſui nomen, & venerationem amiſerat. Nunc eius loco ex ruinis veteris templi tranſlata extant duo altaria beatæ Virginis Innocentij VIII. propè eius æneum ſepulchrum cum ciborio, cui ipſe Lanceæ ferrum impoſuerat (id eſt vnum ex vij) & ſanctiſſimi Crucifixi inter ſepulchra Pauli II. & Nicolai V. Propè finem Baſilicæ verſus portam ſanctam eſt Oratorium, & altare S. Sudarij inſigni exculptoq; opere muſiueo beatæ Virginis, à Ioanne VII. papa dedicatum, ſupra quod in marmoreo operculo eſt ſanctiſſimum Chriſti Sudarium, quod vocatur Veronicæ, quo pientiſſima mulier ante paſsionem Chriſti, faciem extergens, eius in Sudario illo faciem impreſſam ſuſcepit. Quod hoc loco conſeruatum cum tempus poſtulat populis confluentibus à canonicis oſtenditur, id vnum eſt ex vij. altaribus.

In inferius Baſilicæ latus, quod portas continet, quatuor alia fuerunt altaria antiqua,

pri-

imum inter Sudarij Oratorium, & portã uidoneam, quod D. Antonino martyri o- n dicatum fuerat, cuius nomine exoleſcen ante centum annos B. Brigidæ honori co- batur, nunc S. Heraſmi dicitur.

Inter Guidoneam, & Romanam portas in inore naui fuit altare S. Tridentij marty- s, quod nunc ſine nomine ob incuriam ex- t cum Vrſinorum inſignibus. Subſequitur ter eaſdem portas, in naui tamen maiore, tare nouum SS. Apoſtolorum ex vetere Ba lica tranſportatum, de qua ſupra dixi.

Inter portam Romanam, & Argenteam uit altare ſanctorum Apoſtolorum Philip- i & Iacobi, poſteà S. Spiritus, nunc ſanctæ nnæ dictum ſocietatis parafrenariorum, S. .. E. Cardinalium, quod è regione conre- pondet alteri altari ſanctorum Simonis, & udæ, ad quod eſt acceſſus per portam Ra- ennianam, quod nunc mortuorum voca- ur. Hęc duo ſunt ex ſeptem altaribus. Vetus verò ſanctorum Simonis, & Iudæ altare Xy- tus IIII. tranſtulit ad mediam Eccleſiam, vbi ſeruatur ſanctiſſima Euchariſtia, Poſt altare ſanctorum Philippi & Iacobi iuxta portam clauſam, qua iter erat in templum S. Vincen tij fuit antiquiſſimum altare ſancti Habun- dij manſionarij eiuſdem Baſilicæ, de quo beatus Gregorius in libris dialogorum men tionem facit. Poſterioribus temporibus Bo- nifacius VIII. Papa altare nouum ibidẽ dedi-

cauit

cauit ſancti Bonifacij IIII.honori,eius corpore ibidem collocato, ſibi quoq; ſepulchrum elegit inter Rauenianam, & Iudicij portas, dicitur nunc altare S. Catherinæ, & eſt vnũ ex vij.Xyſtus IIII.amplum delubrum, quod Canonicis pro choro vſui eſt,cõdidit, in quo ipſe æreo ſolio ſepultus eſt.

In pariete nouo à Paulo III.papa facto inter baſilicam veterem & nouam, ſunt quatuor altaria, duo ex parte dextra, ſcilicet B. Virginis,& S. Crucifixi,qui eſt vnum ex vij. totidem læua,B.Mariæ, & S.Luciæ Virginis, cuius ædiculam antiquiſſimam ea parte aliquando fuiſſe conſtat.

In media eccleſia ſub organo extat altare ſanctæ Petronillæ, in quo eius corpus quieſcit. Statua ænea ſancti Petri Apoſtoli, Imagines duæ, Chriſti & beatæ Virginis,opera Ioti egregij pictoris ante CC. annos factæ. Iulius II. papa veteris eccleſiæ S. Petri parte poſteriore diiecta, Bramantis eximiæ induſtriæ architecti opera nouæ baſilicæ toto terrarum orbe celeberrimæ futuræ fundamenta iecit. Cuius fabricam à Leone X. & Clemente vij. non nihil intermiſſam, Paulus III. auxit.Iulij III. Pauli IIII. Pij IIII. pontificatibus ita continuata eſt, vt teſtudinibus aliquot factis ampliſſimæ baſilicæ formam repræſentet.Circa baſilicam S.Petri per circuitum erãt antiquitus multa ſacella, oratoria, & monaſteria ſeruorum Dei.Horum ex multis

adhuc ſupereſt memoria. Ante omnia re-
o abſidam eccleſiæ erant monaſteria qua-
or monachorum, die noctuq; in S. Petro
cceſſiuè per vices ſuas pſallentium: à dex-
o baſilicæ latere duo, vetuſtiſſimum S. Mar
ni reliquorum princeps, cuius initia obſcu-
, & S. Stephani minoris ab Hadriano papa
nditum: à ſiniſtro verò latere duo alia, S.
tephani maioris cognomine Catabarbara
atricia, & SS. Ioanis & Pauli, ante mille plus
ninùs annos incertis auctoribus excitata.
rant ibidem etiam baptiſterium honori S.
oannis dicatum, de quo in actis Liberij pa-
æ mentio extat: & nobile cœmeterium. Itē
des ſacræ treſdecim. Sacellum Probi præ-
ecti prætorio, in quo eius ſepulchrum fuit
etro abſidam. A dextro vero latere templa
nctæ Petronillæ, vbi corpus eius diu quie-
it, S. Andreæ à Symmacho papa factum, or-
amentis & redditibus auctum, ſancti Mi-
haëlis archangeli, & S. Mariæ de Febre, in
uo nunc Canonicorum ſacrarium eſt. A ſi-
iſtro verò latere delubra fuere ſancti Soſij,
ancti Apollinaris, & ſanctæ Crucis, à Symma
ho papa, ſanctæ Luciæ à ſancto Gregorio
ondita. In quatuor verò angulis quadripor
ici ante ſanctum Petrum fuerunt totidem
cceleſiæ, verſus baſilicam quidem ſancti Vin-
entij ex vno latere, verſus portam ſanctam,
x alio ſecretarium vetus, quod olim ſancti
Gregorij, hodiè ſanctæ Mariæ de Febre im-
peri-

perite dicitur. Ex alijs lateribus ſub turri campanaria, ſanctæ Mariæ in Turri, iuxta eadem archipresbyteri ſancti Apollinaris, quã omni ſabbato litania à ſancto Petro exiens inibat. Ab vtraque graduum parte fuere antiquitus Epiſcopia duo, item domus hoſpitales aliquot à Symmacho papa conditæ: noſtro ſæculo dextra graduum parte extant domus archipresbyteri S. Petri, à Ricardo Cardinale Conſtantienſi ante centum annos condita: nobile cœmeterium, Campus ſanctus vulgò dictum, & S. Inquiſitionis carcer à Pio V. caſtigandis hæreticis inſtitutus. A leua extat palatium Pontificium Vaticanum, toto terrarum orbe auguſtiſſimum, quod prius omnium poſt Conſtantinum condidit, amplificauitq́ Symmachus papa. Nicolaus III. papa de nouo reſtituit. Vrbanus V. Vrbis Leoniana è muris reſtitutis auxit. Cæterum neq; forma, neq; magnitudine ei quæ nunc supereſt conreſpondebat. Primus Bonifacius IX. Hadriani mauſoleo munito, quũ ſedem apud ſanctum Petrum prius conſtituiſſet, nobiliſſimi eius Palatij fundamenta iecit. Id Martinus V. & Eugenius IIII. auxerunt. Nicolaus V. ſacella duo S. Nicolai, & S. Laurentij, & multa cubicula in eo fabricauit. Pius II. muros, cameras, trilicina & alia multa fecit. Paulus II. porticus Palatij inchoauit. Xyſtus IIII. proſecutus eſt, Bibliothecam, & Sacellum palatinum fecit, quæ vi-

dignissima ſuperſunt, illa ob optimorum
rorum copiam, hoc ob egregia Michaêlis
ngeli Bonaroti picturas. Innocentius VIII.
rticus perfecit, domum Innocentianam,
llam Beluideriam, portam palatij cōdidit.
lexander VI. turrim Borgiam, mœniarum
te domum Innocentij VIII. Iulius II. curri
rium, quo villam palatio coniungeret, in-
oauit. Leo X. perfecit triplices porticus, e-
egijs picturis condecoratos, & eximię ſtru
uræ cubicula adiecit, Paulus IIII. duo Sacel
Iulius III. Paulus IIII. camera, ſuper curri-
rium. Nouiſſimè Pius IIII. omnes, & præce
entes pontifices fabricarum excellentia vi-
t, villa Beluederia reſtituta, Theatro Vati-
no, Lymphęo, turri, porticibus, & toto de-
q; palatio renouato, & ne quid deeſſet, vr-
Leoniāna nouo muro cincta. Cuius egre-
j pontificis memoriam, quàm diuturnam
re ſperamus.

Non erit ab hoc inſtituto alienum, breuiſ-
nè enumerare ornamenta, & redditus,
uæ baſilicæ Vaticanæ pius Imperator Con-
antinus largitus eſt. Ipſe enim baſilica con-
ita & dedicata, altare maius ex auri & ar-
enti pondo cccl. ornauit, cum gemmis pra-
nis, hyacinthinis & albis ccx. Supra corpus
ncti Petri poſuit crucem auream librarum
. Fecit coronam auream ante corpus San-
i Petri, quæ dicitur Pharum cantharum,
um delphinis l. librarum xxxv. In gre-
mio

mio, id eſt, medio baſilicæ, phara argentea xxxv. cum delphinis xx. ſingulis librarum x. A dextero baſilicæ latere, phara totidem eiuſdem ponderis. Metretas argenteas iiij. alias duas, ſingulas librarum cc. Quatuor candelabra ærea pedum decem argento cælata cum argenteis ſigillis actuum Apoſtolorum, ſingula librarum ccc. Amas argenteas v. ſingulas librarum x. Calices aureos, tres cum gemmis praſinis xlv. ſingulos librarum xij. Calices argenteos xx. ſingulos librarum x. Patenam cum turri & columba auream, ornatam gemmis praſinis, & hyacinthinis, & margaritis ccxv. Patenas argenteas v. ſingulas librarum xv. Hydrias duas magnas argenteas, ſingulas librarum c. Reditus vaticanæ baſilicę, quos Conſtantinus Imperator donauit, vt à Damaſo papa enumerantur, eiuſmodi ſunt. Alexandriæ in Ægypto Poſſeſſio Timialica, quā Ambronus Cōſtantino Auguſto donauerat, præſtans ſolidos 620. Carta decadas ccc. Aromatum libras cl. Storacis Iſauricę libras l. Balſami libras lx. Olei Nardini libras ccc. Poſſeſſio Eutymij Caduci præſtans ſolidos 500. Carthadecadas lxx. Antiochiæ in Syria, domus Datiani præſtans ſolidos 740. Poſſeſſio Sibyllina donata Conſtantino Auguſto præſtans ſolidos 322. alias 303. Cartadecadas cl. Aromatum libras cc. Balſami xxxv. In Ægypti vrbe Armenta, & per reliquam Ægyptum poſſeſſio Aga-

pij, quam ipſi Imperatori Conſtantino donauerat, præſtans ſol. 700. Poſſeſſio Panoplitis, præſtãs ſolidos..... Carthadecadas cccc. Aromatum caſſiæ libras cc. Storacis libras cl. Piperis Medimnos l. Croci libras c. Gariophilorum libras cl. Balſami libras c. Olei Nardini libras ccc. Olei Cyprini libras c. Papiri cannas mundas M Lini Ægyptiaci ſaccos c. Poſſeſſio quam Ibronius donauit Augusto Conſtantino Magno, præſtans ſolidos 450. Carthadecadas cc. Aromatum caſſiæ libras l. Balſami libras l. Nicææ in Bithynia domuncula, præſtans ſolidos 520. Gallæ in Aprodyſia præſtans ſolidos 520. Cyri in prouincia Euphratenſi poſſeſſio Armamarom, præſtans ſolidos 382. aliâs 380. Sub Tarſo Ciliciæ Inſula Caricorum, præſt. ſol. 900. In Cyrretica balineum priſtinum, & popinæ præſtantia ſol. 75. Horti duo maioris & .... præſtantes ſol. 21. Summa ſolidorum præter alios reditus .... 6550. Quæ noſtratis pecuniæ æſtimatione, eſt aureorum 9825. Magnæ hæc baſilica toto terrarum orbi venerationi perpetuò fuit, in qua præcipua quæq; noſtræ religionis myſteria, & Romanæ Apoſtolicæ ſedis facta, celebrata leguntur. Hanc vnam præ cæteris gentes externæ cateruatim viſitare ſemper ſolitæ fuerunt. Nemoq; peregrinus in eam admitti ſolebat, niſi prius rectæ fidei ſuæ formulam obtuliſſet. Pontificum, Imp. Auguſt. Regum, cla-

riſſimorum virorum, fœminarum, itē ſanctorum hominum erga vnam hanc baſilicā eximia perpetuò fuit reuerentia, de qua re multa, & maximè memoratu digna exempla extant. Donationes ciuitatum, prouinciarum, & regnorum factæ S.R.E. ſuper altare maius S. Petri factæ ſunt. Eorum qui ius Romæ adminiſtrabant, & lege in damnatos agebant, ſtipendia de S. Petri Eccleſia tribuebantur. Rogationes minores triduanę vltimę, Rogationes maiores in die S. Marci, Litaniæ aliæ, ſupplicationes in caſibus vrgentiſſimis, perpetuò ad S. Petrum celebratæ. Cleri ordines cuncti in ſupplicationibus ſequebātur eiuſdē baſilicæ crucem, quæ Stationalis vocabatur. Maior pœnitentiarius S.R.E. Cardinalis, & minores pœnitētiarij, qui maiores prærogatiuas habent, q̃ alij, in ea reſident. Ad eius aram maximā, iuramentum præſtabant Rectores patrimoniorum S.R.E. nouiter inſtituti, item Duces eccleſiaſticæ militiæ creati. Pontifex cenſus regnorum, prouinciarum, & ciuitatum, ac ſolennes proteſtationes in eiuſdem porticu ſuſcipere ſolebat. Epiſcopi & Metropolitani obedientiam S.R.E. ſuper altare S. Petri iurabant. Ex quo tantum pallia aſſumuntur pro Archiepiſcopis & Patriarchis. Solēnes epiſcoporū, patriarcharum, regū, imperatorum excōmunicationes, abſolutionesq́ in hac vna baſilica celebrari ſolebant. Cuius limina

mina deuotionis & ſubiectionis ergò epiſco
i ex debito viſitāt. Et in hæreſim lapſi ſuos
rrores in ea abiurare ſolebāt. Reges quoq́,
id opus eſſet, ſuper altare maius ſolēnia iu
amēta pſtabat. Quos ſi Romæ coronari cō-
igiſſet, non alibi ea celebritate q̄ in hac baſi
ca fiebat. Certè Petrus Aragonū rex ab In-
ocentio III. Carolus I. Siciliæ rex à Legatis
Clementis IIII. huius filius Carolus II à Ni-
olao IIII. Carolus III. pronepos ab Vrbano
/I. in hac baſilica coronati ſunt. Imperato-
es quoq́ in ea tantū imperij diademata de
nanu Rom. Pont. ſuſcipere ſolēt. Qui ſi Ro-
næ mortui ſunt, non niſi in ea ſepulchrum
abuere. In qua Honorius Valētinianus III.
Otto II. Auguſti, Maria Thermantia Hono-
ij, Hagnes Henrici II. vxores, Cedoaldus &
Offas reges Anglorum (& alij multi pclariſ-
imi viri ſepulti ſunt. Sed & Rom. Pont. de-
ignatus ſolenne ſacramentum in eccleſia S.
Petri præſtabat de ſanctis fidei dogmatibus
vſq́ ad mortem tuendis. In ea tantum ipſe
conſecratur & coronatur. Eiuſdem rectæ fi-
dei confeſſio dogmatica epiſtola incluſa, ex
hac baſilica ad omnes Chriſtianos mitteba-
tur. Leges contra ambientes Pontificatum
antiquitus editæ tabulis lapideis inciſæ, in
eius atrio locatę fuerūt. Romani pontifices
Xyſtus III. Pelagius, Leo III. & alij falſis cri-
minibus impetiti, in hac baſilica iuramenta
de ſua innocētia pſtabāt. Ordinatiōes preſ-
E 2 byte-

byterorum & diaconorum cardinalium, item epiſcoporum omnium, in ea tantum fieri ſolebant. Annus magnus Iubilæi ibidē inſtitutus. Maximæ perpetuæq; indulgentiæ in ea conceſſæ, ita vt non immeritò Paulus IIII. doctiſſimus pontifex dicere ſoleret: Omnium vrbis Romæ baſilicarum priuilegia, in vna S. Petri eccleſia comprehendi. In qua anno Iubilæi Romanus pontifex portám ſanctam aperit, clauditq; ſanctorum canonizationes celebrat, ter in anno populū Romanum benedicit, ad extremum moriens, ſepulchrum eligit. In ea nanque præter decem primos Romanos epiſcopos, etiam hi ſancti benedictiq; pontifices dormiunt. In porticu ante baſilicam S. Petri propè vetuſtiſſimum ſecretarium, quod nunc S. Maria de Febre dicitur, ſepulta fuerunt corpora SS. Romanorū pōtificum, Leonis, Simplicij, Gelaſij, Anaſtaſij II. Symmachi, Hormiſdæ, Ioannis I. II. & III. Felicis III. Bonifacij II. & III. Agapeti, Pelagiorum I. & II. S. Gregorij, & Sabiniani. Anaſtaſius Bibliothecarius, & Ioānes diaconus lib. 4. de vita S. Gregorij Papæ.

In ſecretario quod nunc dicitur S. Maria de Febre ante baſilicam S. Petri Apoſtoli, quieſcit Benedictus Papa.

In baſilica S. Petri Apoſtoli dormiunt ſancti Romani pontifices, Vigilius, Bonifacij IIII. V. VI. VIII. & IX. Deus dedit, Honorij I.

&

IIII. Seuerinus.Ioannes IIII. V VI. VII. III. IX. XIIII. XV. XVI. & XIX. Theodori I. II. Eugenij I. II. III. & IIII. Vitalian⁹, Adeoatus, Domni ſiue Domniones I. & II. Agao, Leones II. III. IIII. VI. VII. VIII. IX. Benedicti II. III. IIII. VI. VIII. IX. Cuno, Sergij, & II. Siſinius, Conſtantinus, Gregorij II. I. IIII. V. & IX. Zacharias, Stephani II. III. II. V. VI. VII. VIII. IX. Pauli I. II. & III. Hadriani I. II. III. & IIII. Paſchalis, Valentinus, icolai I. II. III. & V. Marini I. & II. Formoſ⁹, omanus, Chriſtophorus, Anaſtaſius III. audones I. & II. Vrbani II. & VI. Cæleſtius IIII. Innocentij VII. & VIII Calliſtus III. Pij I. II. III. & IIII. Xyſtus IIII. Alexander VI. ulij. II. & III. & Marcellus II.

Hæc baſilica numeroſiſſimum habet clerum, archipresbyterum cardinalem, eiuſdem vicarium, xxx. canonicos, xxxvj. beneficiatos, xxvj. clericos: item capellanos, cantores, clericos, & camillos multos, præter hæc pœnitentiarios ex omni idiomate, qui etiam eccleſię deſeruiunt, & aduenientium hominum peccata audiunt. Præter dimidiata corpora SS. Apoſtolorum Petri & Pauli quæ ſub altari maiore iacent, multæ quoque & maximè venerabiles reliquiæ extant in eadem baſilica. Quarum breuem indicē ex eiuſdem monumentis afferam.

Crux donata à Conſtantino Imperatore S. Silueſtro papæ, in qua intus incluſa eſt alia

parua crux aurea cũ portione ligni ſanctiſſimæ dominicæ crucis. Sudarium D. N. Ieſu Chriſti, quod Veronicæ dicitur, in proprio Ciborio ſupra eius altare. Lancea qua eius latus fuit perforatum, in Ciborio S. Andreę. Corpora SS. Apoſtolorum Simonis & Iudę, in muro nauis maioris ſupra altare ſacramẽti. Corpus S. Petronillæ filiæ Apoſtoli Petri ſub eius altari, ſub organo. Corpora ſanctorum decem primorum pontificum Romanorum, Lini, Cleti, Anacleti, Euariſti, Xyſti, Teleſphori, Hygini, Pij, Eleutheri, Victoris. Corpora ſanctorum Fabiani & Xyſti II. Pontificum & martyrum. Corpora ſanctorum Sebaſtiani, Gregorij, Tiburtij martyrum. Corpora ſanctorum Proceſſi, & Martiniani martyrum. Corpus ſancti Gabinij martyris. Corpus ſancti Ioannis Chryſoſtomi epiſcopi Conſtantinopolitani & confeſſoris, in ſacrario. Corpus ſancti Gregorij papæ & doctoris, ſub eius altari. Corpus S. Petri diaconi S.R.E. ſub ſancto Gregorio papa, quo cũ ipſe ſanctus dialogorum libros edidit. Caput S. Andreæ Apoſtoli, in operculo eiuſdẽ altaris. Capita ſancti Lucæ euangeliſtæ, ſancti Sebaſtiani martyris, ſancti Iacobi interciſi, ſancti Magni Confeſſoris, in ſacrario. Brachium ſancti Andreæ Apoſtoli. Spatula ſancti Stephani protomartyris. Brachium ſancti Ioſeph decurionis Arimathiæ. Brachium ſancti Longini martyris. Guttur

S.Bla-

Blaſij epiſcopi & martyris. Reliquiæ SS.
Clementis, Euariſti, Zephyrini, Fabiani, Lu-
, Dionyſij, Caij, Silueſtri, Damaſi. & Gre-
rij Romanorum pontificum. Reliquiæ
nctorum Cypriani, & Ianuarij epiſcopo-
m, Pygmenij presbyteri, & Nemeſij dia-
ni martyrum, Chryſanthi, Traſonis, Qui-
ni, Militij, Trophimi, Calocerij, Thraſitij,
ippolyti, Cyriaci, Largi, Smaragdi, Ache-
i, Pamphili, Pauli, Proiecti, Seleuci, Opta-
Polychronij, Geminiani, Leonis, Philip-
, Innocentij, Thebei, Churadi militis, Bo-
ifacij & Theodori martyrum, & Habūdij
monachi & confeſſoris. Reliquiæ ſancta-
um Mariæ Magdalenæ, Catharinæ, Dariæ,
Hilariæ, Artemiæ, Sophiæ, Piſtis, Helpis, A-
apes, Triphoniæ, Cyrillæ, Coronæ, Agne-
s virginum & martyrum Cathedra ſan-
ti Petri Apoſtoli. Forcipes ferreæ, quibus
ancti martyres cruciabantur, viſu & vene-
atione digniſſimæ. His de baſilica Vatica-
a enarratis, ſupereſt vt de Indulgentia
breuiſſimè dicamus. Quam perennem eſſe
ſcribit D. Thomas egregia & ſancta Catholi
æ fidei doctrina illuſtris, in Cōmentarijs
n IIII. ſententiarum diſtinct. xx. Et Nico-
laus IIII. papa in bulla ſua de Indulgentijs
baſilicæ Vaticanæ ſcribens, ait: Hanc itaque
ſacroſanctam baſilicam nonnulli prædeceſ-
ſores noſtri Romani pontifices cupientes

à Chriſtifidelibus eo libentiùs & deuotiùs viſitari, quo fideles Chriſti per hoc potiori dono gratiæ ſe refectos ſentirent, ſalubriter prouiderunt, quòd eandem baſilicam venerabiliter viſitantes, amplam ſuorum aſſequerentur veniam peccatorum. Nam ſicut ad nos tam ex ſcriptis antiquis in baſilica ipſa repertis, quàm ex ſeniorum Canonicorum eiuſdem baſilicæ relatione peruenit, prædicti prædeceſſores omnibus verè pœnitentibus & confeſſis ad præfatam eccleſiam accedentibus reuerenter, videlicet in Nauitatis Domini, Epiphaniæ, Cathedræ ipſius S. Petri, Annunciationis B. Mariæ Virginis, Aſcenſionis Domini, & eiuſdem ſancti Petri ac B. Pauli Apoſtoli, & Dedicationis pdictæ, ac ipſius Sancti Pauli Baſilicarum feſtiuitatibus, ac per octo dies eiuſdem feſtiuitatis Epiphaniæ, & ipſorum Apoſtolorum & Dedicationum baſilicarum earundem immediatè ſequentes, & quolibet die ab ipſa feſtiuitate dictæ Aſcenſionis vſque ad octauas feſti Pentecoſtes, necnon in die Dominica, qua cantatur Gaudete, & in Quinquageſima, ac de Paſſione diebus Dominicis, & Anniuerſarijs conſecrationis maioris altaris dictæ baſilicæ, & Cœnæ Domini & Paraſceue ac Letaniarum maiorum diebus, ac etiam die lunæ poſt Paſcha ſeptem annorum & ſeptem quadragenarum, & ab octauis Pentecoſtes hinc ad feſtum ipſius B. Petri, &

octauis eiuſdem feſti B. Petri vſq; ad Ka-
ldas Auguſti die quolibet trium annorū
trium quadragenarum. Viſitantibus au-
m ipſam à principio Quadrageſimæ vſ-
e ad feſtum Paſchæ quolibet die, & in i-
o feſto, nec non & in feſtiuitatibus Na-
iitatis, Purificationis, & Aſſumptionis
ædictæ Beatæ Mariæ Virginis, Dedicatio-
s, & Apparitionis S. Michaëlis Archange-
ſanctorum Andreæ, Thomæ, Ioannis Eu-
ngeliſtæ, Conuerſionis prædicti S. Pauli, ac
atthiæ, Iacobi, Bartholomæi, Matthæi, Lu
æ, Simonis & Iudæ, Nicolai, Luciæ, Stepha-
i, Silueſtri, octauæ Natiuitatis Dñi, S. Grego
ij, S. Lōgini, Inuētiōis, & exaltatiōis S. Cru
is, S. Petronillæ, SS. Ioannis & Pauli, S. Leo-
is, SS. Proceſſi & Martiani, S. Alexij, S. Ma-
riæ Magdalenæ, S. Laurentij, S. Egidij, Om-
nium Sanctorum, Dedicationis baſilicæ Sal
uatoris, conſecrationis altaris S. Mariæ de
Cancellis in ipſa eccleſia conſtructi, quæ 8.
Idus Octobris occurrit, necnon omnibus
diebus Quatuor temporum, vnius anni &
quadraginta dierum, & reliquis ſingulis an-
ni diebus quadraginta dierum remiſſiones
ſuorum peccaminum conceſſerunt. Nos igi
tur, qui præfatæ baſilicæ honoris ac decoris
augmentum, præcipuè ob reuerentiam præ
dicti B. Petri Apoſtoli principis, cuius nos
(licet immeritos) diuina diſpoſitio eſſe vo-
luit ſucceſſores, totis deſiderijs affectamus

præfatas remiſſiones à prædictis prædeceſſoribus ſic conceſſas, ratas & gratas habemus, illas authoritate apoſtolica approbamus: vt Chriſti fideles ad ipſam baſilicã venientes reddantur de acquirendis talibus remiſſionibus certiores, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, in ſingulis feſtiuitatibus atq; diebus prædictis, quibus baſilicam ipſam dicti principis apoſtolorum perſonaliter viſitabunt, de omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem Petri & Pauli apoſtolorum auctoritate confiſi, de nouo remiſſiones huiuſmodi miſericorditer elargimur.

Quas indulgentias qui ſecuti ſunt pontifices, Bonifacius VIII. Clemens VI. Vrbanus VI. Nicolaus V. & alij Papæ confirmarunt & auxerunt.

Stationes verò, quæ in baſilica ſancti Petri erant, quibuſque maximæ hæ indulgentiæ conſequuntur, numero xx. duplices erant: aut diurnæ & nocturnæ ſimul, id eſt, quibus Romanus pontifex præter miſſam, matutinis quoque vigilijs intererat, aut diurnæ tantum. Prioris generis hæ vij. fuerunt. Dominica iij. aduentus Domini, quæ dicitur de Gaudete, Epipihania Domini, Aſcenſio Domini, Pentecoſtes, Feſtiuitas ſancti Petri, & octaua eius, Feſtiuitas ſanctę Andreæ. Diurnæ verò ſtationes erant xiij in omnibus ſabbatis Quatuor temporum,

die Natalis Domini ad miſſam maiorem tuſtiſſima ſtatio, ob diei anguſtiam ad ſanam Mariam Maiorem tranſlata, Dominide quinquageſima, Dominica de paſſio-, Feria ij. poſt Paſcha, Dominica iiij. poſt aſcha, quæ dicitur: Ego ſum paſtor boaus. Die ſancti Marci in Litanijs maioriaus, Feria iiij. Litaniarum triduanarum. In edicatione Eccleſiarum ſanctorum Apoolorum Petri & Pauli, in Cathedra ſancti etri. Singulis ſextis ferijs menſis Martij, agnæ in hac baſilica ſunt remiſſiones pecatorum. Præter has ſtationes, vigeſimo quinto quoque anno, annus celebris Iubiæi, id eſt, plenariæ omnium peccatorum emiſſionis deuotio celebratur. Porta ſancta per Pontificem maximum reſerata. Atque hactenus de baſilica ſancti Petri dictum ſit.

Qui ſeptem Eccleſias viſitant, id pietatis & deuotionis ſtudio, indulgentiarum conſequendarum cauſa, in peccatorum ſuorũ remiſſiones eos facere conuenientiſſimum eſt. Quæ vt fideles facilius conſequi poſſint, breuẽ hanc precationum formulã, cũcta ex Eccleſiæ ſanctæ monumentis excipientes, conſtituimus: quam pro arbitrio pij homines augere vel diminuere, vt eorum deuotio eos incitabit, poterunt. Fidelis igitur Chriſtianus vbi ea quæ diximus de baſilica ſancti Petri attente vel domi, vel in eadem

Eccle-

Eccleſia meditatus fuerit, ſeptem Eccleſiarum viſitationem inchoaturus, eam commodiſſimè à baſilica S. Petri faciet, quæ ſeptem altaria priuilegijs multis ornata, quæ ſalutari ſolent, continet. Quam ingreſſus ſigno crucis in fronte facto, & aqua benedicta aſperſus (quod in omnium eccleſiarum & oratoriorũ ingreſſu fieri ſolet) ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum primo venerabundus adibit, vbi genuflexus, poſt dictum ſemel Pater noſter, & Aue Maria (quæ precationes in omnium altarium veneratione dici debent) ante omnia primum Pſalmum pœnitentialem, & ſi placuerit, ſequentes preces deuotiſſimè recitabit.

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta mea. Pſalmus primus. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valdè: ſed tu Domine vſquequo? Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluũ me fac propter miſericordiam tuam. Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos. Diſcedite à me

omnes

nes qui operamini iniquitatem, quoni-
exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
audiuit Dominns deprecationem me-
:Dominus orationem meam ſuſcepit.E-
beſcant, & conturbentur vehementer o-
ies inimici mei: conuertantur, & erube-
nt valdè velociter. Gloria.

Oratio contra Iram. Suſcipe ſancte pa-
: omnipotens, per vnigenitum filium tu-
n & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,
Spiritum ſanctum paracletum coëternũ
bi & coæqualem, hanc orationem pſalmo
m & orationum, quam ego in dignus pec
tor ad laudem, & gloriam tui ſanctiſſimi
ominis, ac in honore beatiſſimæ Virginis
ariæ, & omnium ſanctorum Angelorum,
atriarcharum, Prophetarum, Apoſtolo-
im, Martyrum, Confeſſorum, Virginum,
omnium electorum tuorum, pro omni-
us peccatis, negligentijs, & ſceleribus me-
decantare cupio, vt per tuam magnam mi
ericordiam, & interceſſionem omnium
ſanctorum tuorum, quicquid per totum vi-
æ meæ ſpacium contra maieſtatis tuæ pie-
atem deliqui, piè delere & miſericorditer
abſtergere, atq; obliuioni perpetuò tradere
digneris, mihi veram confeſſionem, ac ve-
ram pœnitentiam, emendationem ſimul &
vberum fontem lachrymarum concedere
dignare, vt ea volũtaria caſtigatione in hac
vita delere te donante valeam, quatenus
poſt

poſt hanc vitam cum ante conſpectum diuinæ maieſtatis tuæ præſentatus fuero, te ſine confuſione, & abſq; opprobrio inimicorum meorum videre, & ante te lætus & ſecurus venire merear. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Antiphona. O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. ℣. Panem cœli dedit nobis Dominus. ℟. Panem angelorum manducauit homo. Oratio. Deus qui nobis ſub ſacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſimus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate Spiritus ſancti, Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad altare Vultus ſancti, Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Chriſtus Ieſus, ſplendor patris & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, glorioſi vultus ſui veſtigia nobis relinquere dignatus eſt. ℣. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. ℟. Dediſti lætitiam in corde noſtro. Oratio. Deus qui nobis famulis tuis lumine vultus tui ſignatis ad inſtantiam Veronicæ imaginem tuam ſudario impreſſam relin-

que-

:re voluiſti,per paſſionem & crucem tu-
tribuè quæſumus,vt ita nunc per ſpecu
n in terris in ænigmate venerari & ado-
e teipſum valeamus, vt tunc facie ad fa-
m ſuper nos iudicem ſecuri videamus te
H R I S T V M Dominum noſtrum, A-
:n.

A d altare Beatæ Mariæ Virginis Innocen
VIII. Pater noſter. Aue Maria. Antipho-
. Salue ſancta parens, enixa puerpera re-
m, qui cœlum terramq; regit in ſæcula
culorum. ℣. Virgo Dei genetrix, quem
tus non capit orbis. ℟. In tua ſe clauſit
ſcera factus homo. Oratio. Concede nos
mulos tuos quæſumus Domine Deus per
:tua mentis & corporis ſanitate gaudere,
glorioſa B. Mariæ ſemper virginis inter-
:ſſione à præſenti liberari triſtitia, & æter-
a perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum
oſtrum. Amen.

. Ad altare maius ſanctorum Apoſtolo-
um. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona.
;loriofi principes terræ quomodo in vita
ua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt
eparati. ℣. Conſtitues eos principes ſuper
omnem terram. ℟. Memores erunt nomi-
nis tui Domine. Oratio. Deus, cuius dex-
:era beatum Petrum Apoſtolorum princi-
pem, ambulantem in fluctibus ne mergere-
tur erexit, & eius coapoſtolum Paulũ tertio
naufragantẽ de profundo pelagi liberauit,
exau-

exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur. Qui viuis & regnas, &c.

Ad altare ſanctorum Andreæ & Gregorij. Antiphona. Andreas Chriſti famulus, dignus Dei Apoſtolus, germanus Petri, & in paſſione ſocius, ad crucem ſibi paratam dixit: Salue crux pretioſa, ſuſcipe diſcipulũ eius qui pependit in te magiſter meus Chriſtus. ℣. Annunciauerunt opera Dei. ℟. Et facta eius intellexerunt. Oratio. Maieſtatem tuam Domine ſuppliciter exoramus, vt ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector, ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per Dominum. Antiphona pro ſancto Gregorio. Dum eſſet ſummus pontifex, terrena non metuit, ſed ad cœleſtia regna glorioſus migrauit. ℣. Elegit eum Dominus ſacerdotem ſibi. ℟. Ad ſacrificandum ei hoſtiam laudis. Oratio. Deus qui animæ famuli tui S. Gregorij papæ æternæ beatitudinis præmia contuliſti, concede propitius, vt qui peccatorum noſtrorum põdere premimur, eius apud te precibus ſubleuemur. Per Dominum noſt.

Ad altare reliquiarum ſacriſtiæ. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Sancti Dei omnes hic & vbiq; in Chriſto quieſcentes, intercedere dignemini pro noſtra omniũq; ſalute. ℣. Lætamini in Domino & exultate iuſti.

i. ℞. Et gloriamini omnes recti corde.
atio. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, &
oſtolorum tuorum Simonis & Iudæ hoc
o in Chriſto dormientium, & aliorum
oſtolorum nos tuere præſidijs, quorum
naſti fideles eſſe doctrinis. Omnes ſancti
, quæſumus Domine, qui hoc in ſacro lo-
requieſcunt, nos vbiq; adiuuent, vt dum
rum merita recolimus, patrocinia ſentia-
is: pacem tuam noſtris concede tempori
s: ab Eccleſia tua cunctam repelle nequi-
m: eam de manu hoſtium ſuorum ſubla-
hæreſibus libera: Turcarum tui ſancti no
nis inimicorum ſuperbiam reprime: i-
, actus, & voluntates noſtras, & omnium
nulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperi-
e diſpone: benefactoribus noſtris ſempi-
rna bona retribue: & omnibus fidelibus
functis requiem æternam concede. Per
minum noſt.
Ad altare mortuorum. Pater noſter. Aue
aria. Antiphona. Ego ſum reſurrectio &
ta: qui credit in me, etiam ſi mortuus fue-
, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me,
on morietur in æternum. ℣. Requiem æ-
rnam dona eis Domine. ℞. Et lux per-
tua luceat eis. Oratio. Fidelium Deus
nnium conditor & redemptor animabus
mulorum famularumq; tuarum remiſſio-
em cunctorum tribue peccatorum, vt in-
ulgentiam quam ſemper optauerunt pijs

ſupplicationibus conſequantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad altaria Crucifixi,& S. Catherinæ Bonifacij VIII. quæ reliqua ex ſeptem ſunt. Pater noſter. Aue Maria.

De Eccleſia Sanctæ Mariæ trans Tiberim.

SI commodum erit, in via qua à S. Petro ad baſilicam ſancti Pauli iter eſt, media trans Tiberim regione, deuotiſſimam & antiquiſſimam eccleſiam S. Mariæ trans Tiberim, pium Chriſtianum viſitare non pigeat. De qua pauca quędam memoratu digna quæ collegimus, breui aperiamus. Paulus Oroſius homo Hiſpanus, presbyter honore inſignis, diui Auguſtini diſcipulus, grauiſſimus hiſtoriarum auctor, libro 6. cap. 18. de Imperio Auguſti loquens ait: His diebus trans Tiberim è taberna meritoria fons olei terra exundauit, ac per totum diem largiſſimo riuo fluxit. Et infra cap. 20. Auguſti Cæſaris temporibus, fons olei largiſſimus de taberna meritoria per totum diem fluxit. Quo ſigno quid euidentius, quàm in diebus Cæſaris toto orbe regnantis futura Chriſti natiuitas declarata eſt? Chriſtus enim lingua Gẽtis eius, in qua, & ex qua natus eſt, vnctus interpretatur. Itaque cum eo tempore, quo Cæſari perpe-

ſua tribunitia poteſtas decreta eſt, Romæ fons olei per totum diem defluxit: ſub principatu Romani Imperij, per totum diem, hoc eſt, per omne Romani tempus Imperij, Chriſtum & ex eo Chriſtianos, id eſt, vnctū atq; ex eo vnctos, de meritoria taberna, hoc eſt, de hoſpita largaq; Eccleſia affluenter atq; inceſſabiliter proceſſuros, reſtituēdoſque per Cæſarem omnes ſeruos, qui tamen cognoſcerent dominum ſuum, cæterosq;, qui ſine dominio inuenirentur, morti ſupplicioq; dedendos, remittendaq; ſub Cæſare debita peccatorum in ea Vrbe, in qua ſpontaneum fluxiſſet oleum, euidentiſſima his qui prophetarum voces non audiebant, ſigna in cœlo, & in terra prodigia prodiderunt. Eandem rem Paulus Diaconus non contemnendus auctor, his verbis confirmat: Auguſti Cæſaris diebus trans Tiberim de taberna meritoria fons olei ex terra exundauit, ac per totum diem largiſſimo riuo fluxit, ſignificans ex gentibus gratiam Chriſti. Tunc etiam circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus circa ſolem apparuit. Igitur quū quadrageſimo ſecūdo anno imperij firmiſſimā, veriſſimamq; pacē Dei ordinatione Cæſar compoſuit, CHRISTVS Dominus in Bethlehem natus eſt, cuius aduentui pax iſta famulata eſt. In cuius ortu audientibus hominibus exultantes angeli cecinere, Gloria in excelſis DEO, &

in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ita ille. Hic locus fontis olei trans Tiberim ex maiorum relatione à Chriſtianis priſcis notatus, venerationis ob rei memoriam haberi cœptus eſt. In quo (vt tradit Damaſus papa) Calliſtus xvij. poſt apoſtolum Petrum pontifex Romanus circiter annum Chriſti ccxx. oratorium condidit, & in honorem beatæ Mariæ Virginis dedicans, titulum Romanum, id eſt parœciam conſtituit. Quod longo tempore ab eo titulus Calliſti vocat' eſt. Pace Chriſtianis ſublatis perſecutiõibus à Conſtantino Imperatore cõceſſa S. Iulius papa circiter annum Chriſti cccxl. illud à fundamentis refecit, & in eam quam cernimus amplitudinem multis columnis nobile amplificauit. Hinc titulus ſanctorũ Calliſti & Iulij, aliquando S. Iulij tantum dictus eſt. Hanc baſilicã ruinæ proximam, tecto reſtituto, nouis fabricis reparauit Gregorius iij. papa, totã picturis ornauit, eius miniſterio calicem & patenã argenteam, & ſacras veſtes largitus eſt. Gregorius iiij. papa monachos ibidem conſtituit, cuius monaſterij (quod beato Cornelio papæ dedicauit) diu veſtigia ſuperfuerunt. Idem pontifex oratorium Præſepis in eadẽ baſilica fecit, illi ſimile, qđ in eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris eſt, quod laminis aureis & argẽteis decorauit. Nicolaus papa in hoc titulo obtulit Amam vnam librarum xi. Gabatas quattuor, ſingulas

gulas librarum ix.& ſemis. Caniſtra nouem
ingula librarum x. Euãgelioꝛum codicem,
aminis argenteis auro perfuſis coopertum
ibrarum xv. coronam, caniſtrum, arcũ cũ
duobus hammadijs librarum xl. Calliſtus
. papa præter duas antiquas quæ in ea pri-
ſcis temporibus erant ſtationes, videlicet fe
ria v. poſt 4. Dominicam quadrageſimæ, &
prim 1 Dominica poſt feſtum S. Calliſti: ter-
tiam Kal. Ianuarij ſtationem in ea celebrari
primus conſtituit, cuius rei eiuſdem extat
bulla, in qua hæ eccleſiæ numerantur quæ
eius iuriſditioni ſubditæ erant, S. Calliſti,
ſanctorum xl. martyrũ, S. Ioannis ante por-
tam, S. Silueſtri iuxta portam ſeptimianam,
S. Blaſij, S. Laurentij, S. Angeli, ſanctarum
Rufinæ, & ſecundæ, S. Ioannis de Mica au-
rea.

Papa Innocentius 2. Romanus, ex nobili
regionis Tranſtiberinæ genere ortus, ſchi-
ſmate Anacleti ij. quo nouem annis labora-
uit, ſublato, ipſam eccleſiam pene à funda-
mentis reſtituit pauimentum opere vermi
culato ſtrauit, tectum refecit, columnas ali-
quot abſidam verſus adiunxit. Abſidam ip-
ſam ſignis muſiueis Chriſti, B. Virginis, ſan-
ctorum pontificum Petri apoſtoli, Calliſti,
Cornelij, Iulij, Callipodij presbiteri, Laurẽ-
tij archidiaconi, & ſuo condecorauit, qui et-
iam ſub ara maxima marmoreo operculo
ornata poſuit corpora ſanctorum pontificũ
 Calliſti

Calliſti & Cornelij martyrum, & Iulij conſeſſoris, ac Calepodij presbyteri, & Quirini Epiſcopi martyrum, ex cœmeterio Calliſti, & Catacumbis tranſlata, & additis indulgẽtijs altare maius prope fontem olei excitatum, ſolenni ritu conſecrauit. Innocentius III. papa auctore Guidone epiſcopo Cardinale Præneſtino, qui antea titularis huius baſilicæ Cardinalis fuerat, eandem eccleſiã dedicauit, multis donis ornauit, magnas ei indulgentias largitus eſt. Sepulti ſunt in ea aliquot Cardinales, viri egregij. Propinquum eius palatium ruinoſum, noſtro tempore qui illum incolit, reparauit Ioannes Cardinales Moronus epiſcopus Portuenſis, olim eius baſilicæ presbyter Cardinalis. Habet ea eccleſia presbyterum, Cardinalem titularem, archipresbyterum, canonicos x. & capellanos ac miniſtros aliquot, qui diuina in ea officia aſſiduè celebrant.

Precandi formula ante altare maius.

Ante altare maius. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. O admirabile comertium creator generis humani, animatum corpus ſumens de virgine naſci dignatus eſt, & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam deitatem. ℣. Ora pro nobis ſancta virgo virginum. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oremus. Oratio. Deus, qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia

a præſtitiſti, tribue quæſimus, vt ipſam o nobis intercedere ſentiamus, p quā me imus auctorem vitæ ſuſcipere dominum ſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui cum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſan Deus, per omnia ſecula ſeculorū, Amen.

De ij baſilica Sancti Pauli Apoſtoli via Oſtienſi.

Ocrates Scholaſticus, antiquus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ auctor libro 1. cap. 3. de B. Conſtantino ita ſcribit: At Conſtanus quæ Chriſti ſunt ſapiens, cuncta ageat vt Chriſtianus, Eccleſias erigebat, ac pre oſiſſimis donis ornabat: Gentilium temla clauſa, ſtatuis, quæ in illis erant, publitis, repurgabat. Hæc à Socrate verè dicta uiſſe, teſtimonio ſunt tot Romæ magnifia templa, quæ ex maiorum ſcriptis à Conantino ædificata fuiſſe traduntur. Nam odē tempore, quo baſilicam ſancti Petri Lateranenſem conſtruebat, circiter anum Chriſti CCCXVIII. templum quoque ancti Pauli Apoſtoli ædificari iuſſit, vt in eati Silueſtri vita refert Damaſus papa, eo otiſſimum loco, in quo ipſe Apoſtolus lecollatus, CCC. penè annis iacuerat, ſecundo ab vrbe lapide via Oſtienſi, in prædio quod Lucina nobilis Romana matrona, Chriſtianæ pietatis ardentiſſima cultrix, multis annis antea Romanę eccleſię ob

tulerat. Quod pius Imperator centum nobiliſſimis marmoreis columnis refertum, multis aureis argenteisq́ ornamẽtis, & ampliſſimis redditibus auxit. De hoc Templo Prudentius, antiquus poẽta Chriſtianus, in Periſtephano in paſſione Apoſtolornm.

Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum.
Regia pompa loci eſt princeps bonus has ſacrauit arces.
Cluſitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus ſubleuit, vt omnis aurea lenta
Lux eſſet intus, ceu iubar ſub ortu.
Subdidit & parias fuluis laquearibus colũnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camyros hyalo inſigni varie cucurrit arcus,
Sic prata vernis floribus renident.

In hac baſilica ſanctus Silueſter pontifex dimidiata corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſub maiori altari, aureo loculo pretioſiſſimo, vt beato Petro fecerat, recondidit. Quas vtraſq́ Baſilicas perfectas, eadem die xiiij. Kalendas Decembris, finitimorum Epiſcoporum cœtu conuocato, Imperatore, Clero, Senatu, fideliq́ populo Romano aſtante, ſolenni ritu, & cõprecatione, in honorẽ Dei viui & veri, Ieſu Chriſti filij eius Dei æterni, B. Mariæ matris eius, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli dedicauit.

Quo

quo die perpetuus temporibus Indulgentias conceſſiſſe ijs, qui eaſdem Baſilicas orari adirent, eundem ſanctum Pontificem, auctor eſt in Hiſtoria ſacra ante cccc. annos ſcripta, Petrus Mallius. De ſepulchris Apoſtolorum, & præſertim ſancti Pauli. D. Ioannes Chryſoſtomus in oratione quod Chriſtus eſt Deus, ita ſcribit: Romæ, quæ inter alias vrbes maximè regia eſt, omnibus poſthabitis ad ſepulchra piſcatoris, & pellionis ſiue coriarij currunt reges. Et in caput xvj. commentariorum epiſtolæ ad Romanos: Ego & Romam propterea diligo, tametſi & aliundè queam illam laudare, nempè à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter geſtis: ſed relictis iſtis omnibus, ob id illam beatam prædico, quòd erga illos Paulus dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, vt coram ijs diſſeruerit, & poſtremò vitam apud eos finierit. Vnde & Ciuitas iſta hinc facta eſt inſignis pluſquam reliquæ omnes: & quemadmodum corpus magnum ac validum, duos habet oculos illuſtres, ſanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cœlum ſplendeſcit, quando radios ſuos ſol ex ſeſe demittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus. Conſiderate & horrete, quale ſpe-

ſtaculum viſura ſit Roma, Paulum videlicet repentè ex theca illa cum Petro reſurgentē in occurſum Domini ſurſum ferri. Qualem roſam Chriſto mittet Roma? qualibus coronis duab⁹ ornatur Vrbs iſta? qualib⁹ catenis aureis cincta eſt? quales habet fontes? Propterea celebro hanc Vrbē nō propter copiā auri, non propter columnas, neque propter aliam phantaſiam, ſed propter columnas illas Eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi ſepulchro, videre puluerē corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant adimplentis, ſtigmata illius geſtantis, prædicationem euangelij vbiq; ſeminātis? puluerē (inquā) oris illi⁹, per quod Chriſtus locutus eſt per quod lux emicuit quouis fulgore clarior, & vox exilijt dæmonibus, quouis tonitru terribilior, per quod beatum illud verbum locutus eſt, Optabam anathema eſſe pro fratribus meis: per qđ locutus eſt coram regibus, & non eſt cōfuſus: per quod Paulum didicimus, per quod Pauli dominum, &c.

De baſilicæ S. Pauli reparatione, extat hæc in antiquiſſimo regiſtro S.R.E. epiſtola ſ. digna, quæ hoc loco legatur. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Auguſti, Saluſtio præfecto Vrbis ſalutem. Deſiderantibus nobis contemplatione venerationis antiquit⁹ iam ſacratæ baſilicæ B. Pauli Apoſtoli, eam pro ſanctimonia religionis ornare, pro

ro quantitate conuentus amplificare, pro
udio deuotionis attulere, gratum fuit tuæ
iblimitatis officiũ, q̄d ad inſpicienda vni-
erſa, vt res exigebat detuliſti, & oẽm ſitũ,
ocorumq́ faciem, ſermonis congrui dili-
entia noſtræ ſerenitatis auribus intimaſti.
nſtructiores enim nos iubere decuit, quæ
ibenda ſunt. Quare participato examine
um venerabili ſacerdote Siricio Epiſcopo,
ıtimatisq́ omnibus & magnificentiſſimo
rdini, & Chriſtiano populo quæ iubemus,
ıblimitas tua rem diligentiore tractatu &
lena rerum inſpectione diſcutiat, ac ſi pla-
uerit tam populo, quâm ſenatui, iter ve-
ıs quod Baſilicæ præterit dorſum, quodq́
ipæ Tiberini annis adiacet innouari, ita vt
ræſens via ſpatio futuri operis applicetur,
atenus per architectos futuræ Baſilicæ di-
iges formam, quatenus ſe planities extru-
tioni amica pertulerit, ne vlla inæqualitas
plendorem fabricæ amplificentioris ſubli-
net, ſiquidem in omnium mœnium facie
lecor ſummus eſt, quem ſeruari oportere
tatim in fronte magnarum ædificationum
lemonſtrat intentio. Iam illud ipſa res
xigit, vt ſynopſis operis conſtruendi fi-
leli tendatur examine, ſumptuumq́ue o-
nnium iuxta pretia rerum quæ in ſacratiſſi
na Vrbe ſunt, prætaxatio plenius ordi-
ıetur.

Sanctus Leo papa (vt auctor eſt Biblio-
tho-

thecarius) poſt ignem diuinum, baſilicam ſancti Pauli renouauit, & cameram in eadem cōdidit. Eiuſdem abſidam ruinæ proximam refecit Symmachus papa: cameram item & matroneam in ea fecit, poſt Confeſſionem pictura exornauit, aquam poſt abſidam introduxit, & à fundamētis balineum extruxit. Sergius papa tigna & cubicula in circuitu ipſius baſilicæ vetuſtate confecta reparauit, trabes de Calabria adduxit, quas ibidem repoſuit: Leo III. papa totum tectū ipſius baſilicæ quod terræmotu prid. Kalē. Maij, indictionis ix. corruerat, cunctis trabibus reſtitutis refecit, quod hi verſus ſupra portam maiorem intra Eccleſiam marmorea tabula inciſi docent. Exultate pij lachrymis in gaudia verſis

Exultate pij lachrymis in gaudia verſis
Et protectori reddite vota Deo.
Cuius ſic tenuit reſolutum dextera tectum
In vacuum, vt caderet tanta ruina ſolum,
Solus vt inuidiæ princeps tormenta ſubiret
Qui nullum ex ampla ſtrage tulit ſpolium.
Nam potiora nitent reparati culmina templi
Et ſumpſit vires firmior aula nouas
Dum Chriſti antiſtes cunctis Leo partibus ædes
Conſuluit, & celeri tecta reformat ope
Doctorem & mundi Paulum plebs ſancta beatum
Intrepide ſolitis excolat officijs
[illegible]aus iſta Felix reſpicit te præsbyter

Nec te leuites Adeodate præterit
Quorum fidelis atque peruigil labor
Decus omne tectis vt rediret inſtitit.

n columna maiore trãſuerſalis Eccleſiæ arcus, hoc eiuſdem Leonis III. papæ extat editum inciſum,

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Chriſtianis notitiam conteſtationis.

Quicunque dona, vel oblationes ſacraſſimi altaris glorioſi Pauli Apoſtoli, totiusq́ templi eius, ad vſum & vtilitatem hic Deo ſeruientium, tollere præſumpſerit, aut qui rectorem per pecuniam, vel aliquod malũ ingenium in hoc loco contra ſtatuta patrũ, noſtrumqúe præceptum ordinauerit, ſiue qui hæreditatem huius loci deſtruendo vẽdere vel comparare auſus fuerit, omnipotentis Dei maledictionem in corpore ſuo, uisq́ rebus habeat, quouſque quod facere præſumpſit, euacuetur, infamis, ſacrilegus ab omnibus habeatur, teſtimonium eius in nullo placito recipiatur, quicquid poſſedeit ad rempublicam transferatur, & ſi non reſipuerit, auctoritate cœleſtium principũ in inferno damnetur.

fiat. fiat. fiat.

Hæc baſilica omnium quæ Vrbe ſunt, amliſſima & capaciſſima eſt: longa pedes CDLXXVII. lata CCLVIII. octo & octuointa maximis & nobiliſſimis quaterno ordine columnis ſuſtentata: tota picturis antiquis

tiquitus facta, & ineptis ſigillis exornata.
nte ipſam eccleſiam eſt quadriporticus ſa-
ampla, quam cum eccleſia factam opinor
m prægrandibus columnis, Vaticanæ ſi-
lis, ſed amplior. Nunc penè tota diruta eſt
minum iniuria, magna tamẽ eiuſdem ve-
gia ſuperſunt, tabulis magnis marmoreis
ata. Bibliothecarius auctor eſt, Symma-
um papam, ante eiuſdẽ baſilicæ fores in
io ipſo cantharum, hoc eſt, vas aquariũ,
gradus feciſſe, ibidemq; pauperibus habi-
ula cõſtruxiſſe. Idem refert Hadrianum
pam, eandem quadriporticum collapſam
tituiſſe, areamq; ipſam in medio atrio bo-
s, equis, aſinis cõpaſcuam, marmoreo pa-
mento ſtrauiſſe. In quo atrio adhuc extat
tiquo & eleganti marmoreo pilo ſepul-
rũ Petri Leonis nobiliſſimi Romanorum,
ante annos CDL. obijt. Ex quo Auſtriacæ
iciſſimæ gentis initia manaſſe ferũt. Anti
itus erat portic⁹, à porta Vrbis vſq; ad hãc
ſilicã pertingẽs, cuius adhuc veſtigia & pa
etinæ ſuperſunt: qua eam adeũtibus cœli
iuriæ arcerentur, vẽtus, ſol, aqũa grando.
ã Procopius li. b2. de bello Gothico, cõme-
orat ita. Extat Sancti Pauli Apoſtoli tem-
ũ Romanis, procul à mœnib⁹ ſtadijs xiiij.
xta quod Tiberis fluit. Porticus eôdem ab
rbe pertinens, & circa, alia multa ædifi-
a erant. Patebat Gothis ad id ſacrari-
m via. Per quos omnibus conſtat, per
id

crarium via.Per quos omnibus conſtat, per id belli tempus,in neutra dedicata Apoſtolis æde quippiam editum, quod incolentibus vel moleſtius eſſet, vel quoquam pacto ingratum, ſed ſacratos ibidem viros liberè permiſiſſe rem diuinam agere.

Hæc baſilica Vaticanæ ſimilis eſt, & longè tamen ea maior. Habet enim abſidam, crucem tranſuerſam,qua cellæ abſis coniungitur: & cellam ipſam in quinque porticus, quas naues vocant, inter columnijs & parietibus diſtinctam. In media cruce ſub arcu Eccleſiæ maiore, eſt marmoreus chorus, & pontificia ſedes à Leone III. facta. In cuius chori medio eſt ara maxima ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſub qua ipſorum ſanctiſſima dimidiata corpora, & corpus ſancti Anaſtaſij requieſcunt, operculo marmoreo cooperta. Sub altari maiori eſt oratorium deuotiſsimum, vbi ſancta Brigida orare ſolebat, & in quo, modò miſſæ deuotiſſimè celebrari ſolent.Id ſub Confeſſione Leo III. papa fecit,vt indicant hæc verba:Leo gratia Dei III. Epiſcopus,hoc ingreſſum ſanctę plebi Dei miro decore ornauit.

A ſiniſtra altaris maioris parte intra ipſum chorum, extat adhuc miræ deuotionis Crucifixus, ante quem Beata Brigida feruentiſſimas preces effundere ſolebat.Paulo extra chorum,ab eodem latere,vbi in paui-

mento eſt pars quædam opere vermiculato & teſſellato ſtrata cum altari quodam ſanctæ Lucinæ: extat eiuſdem diuæ cœmeteriũ ſub terra effoſſum, ad quod antiquitus iter erat per oratorium S. Iuliani, nunc obſerato aditu imperuium eſt, in quo iacent multa ſanctorum martyrum corpora.

Abſidæ maiori inhæret altare cum marmoreo pilo, in quo iacent corpora ſanctorum quinq; Innocentium martyrum. In eiuſdem abſidæ medio eſt alia marmorea ara in qua dormit corpus S. Timothei presbyteri S.R.E. & martyris, qui paulò antè S. Silueſtrum pro Chriſto occubuit. In extrema parte abſidæ verſus altare maius in ipſis gradibus, eſt antiqui operis marmoreus pilus cum nouem muſarum ſignis, proculdubiò alicuius proceris Romani ſepulchrum. Sub abſidæ pauimento eſt Confeſſio ſiue paruum Sacellum, ad quod gradibus aliquot deſcenditur, in quo ſub altari quieſcunt oſſa ſanctorum Celſi, Iuliani, & Baſiliſſæ martyrum.

In tranſuerſa cruce ſunt octo altaria. A leua quidem primum in medio pauimento teſſelato S. Lucinæ. Secundum, S. Antouij ex ſeptem. Tertium, Vrſinorum B. Virginis Annunciatæ ex ſeptem. Quartum prope portam poſticam, ſacellum cum ara S. Martini cancellis occluſum, vbi collocata eſt ſanctiſſima Euchariſtia ex ſeptem. Quintum S.

Bartholomæi, á Guilhelmo de Pererijs conditum, paraſtatæ medio hærens. A dextra ſunt altaria: Sextum, Maximorum B. Virginis ex ſeptem. Septimum S. Pauli ex ſeptem. Octauum in medio paraſtatæ S. Stephani. In corpore ipſius eccleſiæ extra tranſuerſam crucem, ſunt tantum quatuor altaria. Vnum prope maiorem portam, S. Pauli: alia tria paraſtatis annexa, vnum B. Virginis, vbi olim Euchariſtia ſeruabatur, ex ſeptem: aliud S. Vrbani cum inſignibus regis Francorum, ex ſeptem: tertium SS. Iuſtinæ, & Catherinæ.

Memoratu digna nec ſilentio prætereunda eſt ænea crux, ante octingentos annos à Stephano II. Papa facta, quæ altari maiori impoſita hos verſiculos directis & in verſis characteribus continet. Ab vno latere.

	Romanorum victoria.			*Imperat in ſæcula.*
	Romanorum			*Regnat in æternum.*
Crux	*arma.*	*Ab alio latere.*	*Chriſtus*	*Dei filius vincit.*
	Romanorum			*Iubar regni Romanorum.*
	ſalus.			
	Romanorum fortitudo.			*Stephanus iunior papa fecit.*

Hanc baſilicam antiquiſſimis temporibus, paulò ſcilicet pòſt quam condita eſt, clericos tenuiſſe opinor. Neque enim tunc in Occidente, & præſertim Romæ monachi, qui ſacras ædes incolerent, erant: ſed & D. Gre-

Gregorius papa, in priuilegio quodam ſuo, non Abbatem, ſed Prępoſitos S. Pauli vocat. Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gregorij II. Papæ tradit, eundem Pontificem monaſteria quæ erant circa baſilicam S. Pauli Apoſtoli, ad ſolitudinem deducta, reparaſſe, monachos ordinaſſe, & poſt longum tempus congregationem ipſorum ibidem reſtituiſſe, qui die noctuq́ laudes diuinas in ea baſilica canerent. Agapeti II. tempore circa annum Chriſti DCCCCL. antiquorum monachorum diſciplina regulari iam diſſoluta, Albericus quidam Octauius Romæ ſummo loco natus, ac tum in Vrbe princeps, Ioãniſq́ue XII. Romani pontificis pater, antiquos monachos ex hoc monaſterio eiecit, cõgregationemq́ monachorum Cluniacenſium tunc ſanctitate florentem euocauit, cui nõ ſolum hanc baſilicam, ſed & monaſteria S. Laurentij & S. Hagnetis extra muros conceſſit. In quibus diutiſſimè permanſerunt, miriq́ operis clauſtrum fabricarunt cum his verſiculis:

Agmina ſacra regit locus hic quem ſplendor honorat,
Hic ſtudet atq́ legit, monachorum cœtus & orat,
Clauſtrales claudens clauſtrum de Claudo vocatur,
Quo Chriſto gaudens fratrum pia turma ſeruatur

Hoc opus exterius ... cunctis pollet, & in Vrbe
Hic nitet interius monachalis regula turbæ
Clauſtri per gyrum decus muro ſtat decoratum
Materiam mirum præcellit materiatum
Hoc opus arte ſua quem Romæ Cardo beauit
Natus Capua Petrus olim primitiauit
Ardea quem genuit, quibus abbas vixit in annis
Cætera diſpoſuit benè prouida dextra Ioannis.

Hoc ex antiquiſſimo monaſterij Farfenſis libro intelleximus. Cæterùm & horum monachorum diſciplina corrupta, Martinus V. papa, auctore Gabriele Cõdelmerio Cardinale Senenſi, qui poſtea Eugenius papa IIII. creatus, monaſtici nominis amantiſſimus fuit, hoc monaſterium & eccleſiam nouæ monachorum Congregationi, quæ S. Iuſtinæ dicebatur, conceſſit, cuius etiam abbatem D. Ioannem Siculum, Eugenius IIII. Cardinalem creauit. Hi monachi, Caſinates modò vocati, vetus monaſterium mirum in modum auxerunt, & ornarunt, & ſub Abbatis cura illud adhuc piè & ſanctè incolunt, aſſiduéq; diuinas laudes Domino canunt. Placet & hoc loco ſubijcere redditus, & ornamenta, quæ Conſtantinus Auguſtus huic eccleſiæ abs ſe recens conditæ, dono dedit. Ornamenta quidem in omnibus eis ſimilia fuere, quæ Diuo Petro donauit.

Anaſtaſius Bibliothecarius paſſim multa do-

iona aurea, argentea, ænea, vt phara, canthara, ceroſtrota, hydrias, ſcyphos, calices, amas, imagines, arcus, cruces, veſtes aureas, libros, & ſimilia: item vela ſericea, pallia, & veſtes ſacras commemorat, quæ Romani pontifices Cœleſtinus, Hilarus, Symmach', Hormiſda, Ioannes, Sergius, Ioannes VI. Gregorij II. & III. Zacharius, Hadrianus, Leones III. & IIII. Nicolaus, & Imperatores Valentinianus III. & Iuſtinus, baſilicę S. Pauli varijs temporibus obtulerunt.

Redditus verò hi à Damaſo papa referuntur. Tarſi Ciliciæ poſſeſſio Inſulæ Cardiariæ præſtans ſol. 800. Tyro Phœniciæ poſſeſſio Comitij præſtans ſolidos 550. Poſſeſſio Formiuſa præſtans ſolidos 760. Poſſeſſio Timia præſtans ſol. 250. aromatum libram 1. caſſiæ libram 1. olei Nardini libras 70. In Ægypto poſſeſſio Cyrreos præſtans ſolidos 710. aromatum libras 70. ſtoracis libras 30. ſtates libras 150. balſami libras 30. olei Nardini lib. 70. Poſſeſſio Baſilicas præſtans ſolidos 550. aromatum lib. 5. croci libras 60. balſami lib. 20. olei Nardini lib. 70. Summa ſolidorum aureorum eſt 4070. qui ad noſtratis pecunię valorem reducti, ſunt aurei 6105.

Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Felici ſubdiacono rectori patrimonij Appiæ.

Licet omnia, quæ hæc. Apoſt. habet Eccl.

B. Petri & Pauli, quorum honore, & beneficijs acquiſita ſunt, Deo ſint auctore commu nia, eſſe tñ debet in adminiſtratione actionũ diuerſitas perſonarum, vt in adſignatis cuique rebus cura adhiberi poſſit impenſior. Cum igitur eccleſia B. Pauli Apoſtoli, ſollicitudo nos debito cõmoneret, ne minus illic habere luminaria ijſdem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine ſuæ prædicationis impleuit, & valdè incongruũ ac eſſe duriſſimum videretur, vt illa ei ſpecialiter poſſeſſio non ſeruiret, in qua palmam ſumens martyrij capite eſt truncatus, vt viueret: vtile iudicauimus, eandem maſſam, quę Aquas Saluias nũcupatur, cũ omnib⁹ fundis ſuis. i. Cella vinaria, Antoniano, Villa portuſa, Bifurco, Priminiano, Caſſiano Silonis, Cornelij teſſellata, atq; Corneliano, cum omni iure inſtructo, inſtrumentoq; ſuo, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, eius cum Chriſti gratia luminaribus deputare: adijciẽtes etiam eidem ceſſioni hortos duos poſitos inter Tiberim & Porticus ipſius Eccleſiæ, euntibus à porta ciuitatis parte dextera, quos diuidit fluuius Almon, inter adfines horti monaſterij S. Stephani, qđ eſt ancillarum Dei, poſitum ad S. Paulum, & ad fines poſſeſſionis Piſiniani: ſimul & terrulas, quę vocantur Foſſa latronis, poſitas ibidem iuxta eandem porticum euntibus ſimiliter à porta parte ſiniſtra, vbi nunc vineæ fa

ctæ ſunt, quæ terrulæ cohærent ab vno latere poſſeſſioni Eugenitis quondam Scholaſtici, & ab alia parte poſſeſſioni monaſterij S. Ariſti: quæ omnia quoniam Deo adiuuante per antedictæ eccleſiæ Præpoſitos, qui per tempora fuerint, ſubſequētia, à præſenti ſeptima indictione volumus ordinari, & quicquid exinde acceſſerit, luminaribus eius impendi, atque ipſos exinde ponere rationes. Idcirco experientiæ tuæ præcipimus, vt ſupraſcriptam maſſam Aquas ſaluias cum prænominatis omnibus fundis ſuis, nec non hortos atque terrulas, quæ ſuperius continentur, de breuibus ſuis delere debeat ac auferre, & cuncta ad nomen prædictæ Eccleſiæ B. Pauli Apoſtoli tradere, quatenus ſeruientes ibi prępoſiti, omni poſthac carentes excuſatione, de luminaribus eius ita ſine noſtra ſtudeāt ſolicitudine cogitare, vt nullus illic vnquam neglectus poſſit exiſtere, facta verò ſupraſcriptarum omnium rerum traditione, volumus, vt hoc præceptum in ſcrinio Eccleſiæ noſtræ experientia tua reſtituat. Bene vale. Datum VIII. Kalend. Februarias. Imp. DN. N. PHOCA Pio Aug. anno ſecundo, & conſulatus eius anno primo Ind. VII.

In hac Eccleſia requieſcunt Romani pontifices, Felix II. dictus III. & Ioannes XIII. cuius etiam adhuc epitaphium ſupereſt:

item Cardinales aliquot, & viri egregij multi, vt ex ipſorum inſcriptionibus liquet.

In ſacrario huius templi, quod eſt infra monaſterium, huiuſmodi ſanctorum reliquiæ deuotiſſimè conſeruantur. De ligno ſanctæ & viuificæ Crucis in cruce argentea. Brachium cum poliice S. Annæ matris B. Virginis Mariæ, incluſum brachio argẽteo. Pars capitis S. Stephani protomartyris, incluſa tabernaculo argenteo. Pars capitis S. Ananiæ diſcipuli, qui B. Paulũ Apoſtolum Baptizauit. Brachia ſanctorum Iacoborum apoſtolorum maioris & minoris. Brachium S. Nicolai epiſcopi. Brachium S. Alexij confeſſoris. Spatula S. Dionyſij. Catena, qua S. Paulus Apoſtolus cinctus fuit. Baculi fruſtrum cum quo orbem terrarum peragrauit. Veſtimenta B. virginis Mariæ. Tabernaculum æneum cum reliquijs ſanctorum Innocentum, Matthiæ Apoſtoli, Sebaſtiani, Felicis papæ, Sergij & Bacchi, Chryſanti & Dariæ, Barbaræ, & Nymphæ, & fruſtum crucis S. Andreæ Apoſtoli. Capſula cum reliquijs ſanctorum Euentij presbyteri & martyris. Stephani papæ, Sebaſtiani, Nicolai epiſcopi, Quirini epiſcopi, Primi & Feliciani, Pancratij, Ceciliæ, Sophiæ, & aliorum. Alia capſula cum reliquijs ſanctorum Marcelli papæ, Nerei, Achillei, Dariæ martyrum. Item reliquiæ ſanctorum Andreæ, Bartholomæi, Matthiæ Apoſtolorum, Lucæ euangeliſtæ,

Xyſti Papæ, Dionyſij, Laurentij, Sebaſtiani, Blaſij Epiſcopi, Gordiani, Benedicti, Gregorij papæ, Vincentij, Hermetis, Cœleſtini, Luciæ, Hilariæ virginis, & aliorum.

Maximæ & perpetuæ in hac baſilica ſunt Indulgentiæ, & peccatorum remiſſiones, & præſertim diebus Stationum eiuſdem Eccleſiæ, quæ ſunt: In die ſanctorum Innocentium: Dominica in Sexageſima: Feria 4. poſt quartam Dominicam Quadrageſimæ: Feria 3. Paſchæ: Feria 5. poſt Pentecoſten. Quæ adhuc in vſu ſunt. Die Cōuerſionis S. Pauli: die Cōmemorationis eiuſdē. Quæ exoleuerunt.

Precandi formulæ.

Ad altare ſacramenti. Pater noſter. Aue Maria. Secundus Pſalmus Pœnitentialis. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor aduerſus me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno. Veruntamen in diluuio aquarum mul-

tarum ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum à tribulatione,quæ circũdedit me, exultatio mea,erue me à circumdantibus me. Intellectum tibi dabo,& inſtruam te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos. Nolite fieri ſicut equ⁹ & mulus,quibus non eſt intellectus.

In camo & freno maxillas eorum cõſtringe: qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in domino miſericordia circundabit. Lætamini in Domino,& exultate iuſti,& gloriamini omnes recti corde. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui.

Oratio.

Omnipotens, & iuſtiſſime Deus, qui ſuperbiam Angeli terribili deiectione puniſti, & ancillæ tuæ humilitatem reſpiciens, virginem humilem in matrem ſumpſiſti, tolle à nobis omnem ſuperbiæ,& ingratitudinis labem, omnemq́ mentis iactantiæ tumorem à cordibus noſtris longè repelle, vt humili corde, & lingua vera dicamus tibi ſoli laudem, & honorem, tibi gratiarum actiones deuotè laudemus, & ſiquid boni habere videmur, nihil à noſtro, ſed à te perenni fonte bonorum omnium deſcendere veraciter cognoſcamus: non nobis, ſed nomini tuo in omnibus gloriam dantes. Qui viuis, & regnas cum Deo patre.

Ad altare maius. Pater noſter. Aue Maria

ria. Antiphona. Petrus Apoſtolus,& Paulus doctor gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine. ℣. In omnem terram exiuit ſonus eorum. ℟.Et in fines orbis terræ verba eorum. Oratio. Deus qui beato Petro Apoſtolo tuo, collatis clauibus regni cœleſtis animas ligandi, atq; ſoluendi pontificium tradidiſti:&qui multitudinem gentium B.Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti, concede nobis quæſumus, vt interceſſionis ipſorum auxilio, à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Qui viuis, & regnas,&c.

Ad Crucifixum S.Brigidæ.

Pater noſter. Aue Maria.Antiphona.Humiliauit ſemetipſum Dominus noſter Ieſus Chriſtus, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur,cœleſtium,terreſtrium,& infernorum,& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. ℣. Adoramus te Chriſte,& benedicimus tibi. ℟. Quia per Sanctam Crucem tuam redemiſti mundum.

Oratio.Domine Ieſu Chriſte fili Dei viui, qui de cœlis ad terram de ſinu Patris deſcendiſti, & in ligno Crucis quinque plagas ſuſtinuiſti, & ſanguinem tuum pretioſum

ſum in remiſſionem peccatorum noſtrorum fudiſti:te humiliter deprecamur, vt in die iudicij ad dexteram tuam audire mereamur, Venite benedicti. Qui viuis,&c.

Ad alia quatuor altaria ex ſeptem priuilegiata, dicatur ſemel Pater noſter, Aue Maria.

In hac Eccleſia ſolent multi ſacramentũ Euchariſtiæ ſuſcipere. Alij id in baſilica Lateranenſi obſeruant.

De Eccleſia ſanctorum Vincentij & Anaſtaſij martyrum ad tres fontes, ſiue ad aquas Saluias.

Poſt adorationem factam in baſilica S. Pauli, iter arripi ſolet verſus Eccleſiam S. Sebaſtiani. At pia fidelium deuotio duas vicinas Eccleſias ſibi prætereundas ſine ſalutatione non putauit: quas circuitu paululum producto ante Sancti Sebaſtiani viſitationem interpoſuit. Quòd ſi cuilibet placuerit eas inuiſere, magnoperè probamus. Cuius pietati ſatisfacientes, pauca quædam de ipſis Eccleſijs, & ijs adiũctis Oratorijs dicemus. Et primum de Eccleſia, & de monaſterio ſanctorum Vincentij & Anaſtaſij martyrum diſſeramus. Eccleſiam & monaſterium ad Aquas Saluias, primus conſtruxit Honorius Papa circa annum ſalutis DCXXV. in maſſa quæ iuris monaſterij S. Pauli erat. In

qua

qua baſilica recondidit caput S. Anaſtaſij monachi, à Perſis martyrio coronati, cum Heraclius Imperator id cum corpore, quod in baſilica S. Pauli conditum fuit, Romam transmiſiſſet. Celebris autem erat locus iſte, ob X. millium martyrum ibidem occiſorum & dormientium memoriam. Caput porrò eiuſdem ſancti Anaſtaſij adhuc argentea thèca ibidem piè conſeruatur: cui ineſt hæc inſcriptio, Domnus Abbas Martinus fecit fieri hoc opus ſub Anno MCCLXXXIII. Hoc monaſteriũ cum Eccleſia Leo III. à fundamentis reſtituit, monachos in eo locauit. Carolus verò Magnus Imperator, illud ampliſſimo patrimonio dotauit: ſiquidẽ & 12. oppida in maritima Æthruria agri nũc Senenſis donauit, ſcilicet, Orbitellum, Caparbium, Anſidoniam, Gilium, Montem argentarium, Altrecoſtam, Aquapitem, Montem acutum, Serpenam, Maſſilianum, Sciapilaſcium, & ...... ad Monachorum ſuſtentationem. Quæ oppida etiam nũc iuris eiuſdem monaſterij exiſtunt, Senenſibus tamen beneficiario iure à ſuperioribus Pontificibus conceſſa. Hoc monaſterium monachis ferè deſtitutum, Innocentius II. Papa circiter annum Chriſti MCXL. S. Bernardo magno Abbati Clarauallenſi donauit, qui congregationem monachorum Ciſtertienſium, & primum ex ea ſocietate Abbatem ibidem conſtituit D. Petrum Bernardum Piſanum,

qui poſtea Romanus pontifex factus, Eugenius III. vocatus eſt. Monachi Ciſtertienſes reformati in Æthruria, eam adhuc Eccleſiam incolunt. A centum annis infra Cardinali S. R. E. commendari ſolet. Ex eodem monaſterio præter Eugenium III. multi & magni nominis S. R. E. Cardinales prodierunt. Eccleſia ipſa ſatis antiqua, tres naues, altaria quinque, & porticum ante oſtia habet. In qua multæ ſanctorum reliquiæ extant, vt ex hac marmorea inſcriptione muro affixa liquet:

In nomine Domini. Anno milleſimo bisque centeno primo quaterquino.
Quo Chriſtus venit, mundumque redemit actu diuino,
Calendis Aprilis, Honorius felix monos dia ſacer.
Septem Cardinales collaterales interfuerunt,
Ad matris Dei honorem ei tunc adſtiterunt,
Præſul Sauinenſis, Tuſculanenſis, hi bonitate
Pontificali honore tali fulgent dignitate,
Poſt Praneſtinenſis, Archinarbonenſis, & duo fratres
Sibi deuoti ſubditi toti epiſcopi vates,
Alter Florentinus cultu diuinus actu ſereno,
Spernit amorem mundi honorem arente fano
Septem aris conſecratis, acreque is ditatis ſanctorum Baſilicæ,
Hac collocat, vt Smaragdus redoleat, ſat pluſquam nardus ſponſa theos vnica,

Hoc

Hoc altare crucis lignum, & volumē carnis dignum vtero cùm prodijt,
Hic velamen, & præſepe, pallium, & lapis ſæpè tumuli qui ſubijt
Hic eſt veſtis matris Dei, atque præcurſoris ei, Zachariæ filij,
Petrus, Paulus & Andreas, quem occidit tunc Egeas, Bartholomæus eximius,
Partes corporum dederunt, quæ nec tentæ tunc fuerunt, dentes Cephas principis
Opulentum decoratur hoc eximij ditatur meritorum adipis,
Hic Laurentius conſiſtit cui Vincentius aſſiſtit de communi martyrio,
Anaſtaſius, & Clemens quem Afridianus demens conſumpſit ſupplicio
Nicolaus præſul dignus, Sebaſtianus benignus, decora Cæcilia,
Anaſtaſia virgo pia, à vera plena ſophia redolet vtilia.
Iſtud fatetur quiſquis gradietur ad hāc aulam Dei
Septem annis, & ſeptem carinea remiſſionis confeſſi criminis ſolutionisq́, detur ei.
Feria quinta cum celebrabatur ante palmarū dies habebatur Papa iubente.
Hoc recordetur, & memoretur, quolibet menſe
Remiſſio datur, & condonatur tempore iſto.
Credat fidelis, fiat inde fœlix præbente Chriſto.
Meruit Abbas hoc Nicolaus, vt ſibi ſemper inſit laus opere tali.

Cun-

Cunčti deuoti ſibi fuerunt, & preces dignas adminiſtrauerunt homini quali,
Hæc reliquiæ ſanctorum, hic degentium bonorũ pœnitendi ſpatium
Nobis, atq; monachorum preces dent & angelorum in cœlis conſortium.

Stationes. Feria III. poſt Pentecoſten. Feria II. poſt Dominicam tertiam Quadrageſimæ. Feria quinta ante Palmas.

Præter caput S. Anaſtaſij thecis ligneis deauratis, ibidem etiam conſeruantur capita S. Zenonis hoc in loco martyrio coronati, & S. Vincentij martyrum. Item columna ſuper quã S. Paulo Apoſtolo caput amputatum fuit.

Precandi formula.

Ante altare maius. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Verbera carnificum non timuerunt ſancti Dei, morientes pro Chriſti nomine, vt hæredes fierent in domo Domini, tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia. ℣. Exultabunt ſancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis. Oratio. Deus, qui conſpicis quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus, concede propitius, vt interceſſione ſanctorum martyrum tuorũ Vincentij & Anaſtaſij contra omnia aduerſa muniamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

De Oratorio Sanctæ Mariæ Scala cœli.

Eidem

Eidem Eccleſiæ imminet paruus collis cum exiguo fonte, qui locus Gutta iugiter manans vocabatur, in quo pro Chriſti fide VII. Idus Iulij cæſi ſunt, S. Zeno martyr, & cum eo decem millia ducenti tres Chriſtiani: quorum oſſa in proximo cœmeterio ſub ſacello rotundo & deuotiſſimo, quod S. Mariæ ſcala cœli, modo dicitur, requieſcunt. Cuius dedicatio celebratur 6. Kal. Februarij. Vbi eſt altare cum operculo marmoreo quatuor pretioſis columnis ſuſtentato, ſub quo iacent corpora ſanctorum martyrum. In oratorij abſida muſiuea, extāt ſigna beatæ virginis Mariæ, & S. Zenonis. In hac ædicula ſæpè S. Bernardus dum in Vrbe moraretur, ſacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur, in mentis ecſtaſim raptus, ſcalam vidiſſe fertur, qua è purgatorij igneis pœnis animæ eius ſuffragijs liberatæ, in cœlis ab angelis deducebantur. Hinc ſacræ illi ædiculę, Scalæ cœli nomē inditum.

Precandi formula.

Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Tanquam aurum in fornace probauit electos Dñs, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum, quoniam donum & pax eſt electus Dei. ℣. Iuſti in perpetuum viuent. ℟. Et apud Dominum eſt merces eorum. Oratio. Deus, qui es glorioſus in gloria ſanctorum, & cun-

ctis ad eorum patrocinia confugientibus, ſuæ petitionis ſalutarem præſtas effectum; concede nobis, vt intercedentibus ſanctis martyribus tuis Zenone & ſocijs decẽ millibus ducentis tribus, æternæ beatitudinis præmia conſequamnr. Per Dominum noſt.

De Oratorio Sancti Pauli ad Tres fontes.

Hic locus antiquitus Maſſa aquæ Saluiæ dicebatur. (Saluia porrò gens Romæ nobilis, quæ Otthonem Imperatorem tulit, huic loco nomẽ dediſſe potuit). Eratq; poſſeſſio (quam maſſam vocabant) iuris monaſterij S. Pauli, vt ex marmoreo diplomate B. Gregorij Papæ, porticu S. Pauli parieti affixo, liquet. In quo S. Gregorius apertè ſentire videtur, Beatum Paulum Apoſtolum hoc in loco, pro Chriſto fuiſſe decollatum, cum ait: Valdè incongruum eſſe, ac duriſſimum videtur, vt illa ſpecialiter poſſeſſio non ſeruiret beato Paulo Apoſtolo, in qua palmam ſumens martyrij, capite eſt truncatus, vt viueret: ita ille. Ibi ædificata ſunt tria ſacella, alterum altero depreſſius, cum tribus fontibus, à quibus tota Eccleſia Trium fontium appellationem obtinuit. Vbi magnæ ſunt ex Pontificis conceſſione peccatorum veniæ.

Precandi formula.

Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Bonum

-um certamen certaui, curſum conſumma-
-i, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mi-
-i corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Domi-
-us in illum diem, iuſtus iudex: non ſolum
-utem mihi, ſed & his qui diligunt aduentũ
-eius. ℣. Tu es vas electionis S. Paule Apoſto-
le. ℟. Prædicator veritatis in vniuerſo mun-
do. Oratio. Deus qui vniuerſum mudum B.
Pauli apoſtoli prædicatione docuiſti, da no-
bis, vt qui eius commemorationem colim⁹,
per eius ad te exempla gradiamur. Per Do-
minum noſtrum.

De Eccleſia Sanctæ Mariæ Annunciatæ.

Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ ad terti-
um ab vrbe lapidem, in ſeptem Eccleſia-
rum viſitatione, pietatis ſtudio etiam adiri
ſolet, multis olim reliquijs referta. Hæc Ec-
cleſia ſatis antiq̃, eſt ſub cura & protectione
ſolidatatis ſacri Confanonis Chriſti, cuius
parieti extat hæc tabula marmorea ſic in-
ſcripta:

In nomine Domini Amen. Anno MCC-
XX. pontificatus Domini Honorij III. Papæ,
anno V. Indictione VIII. Menſis Augu-
ſti die IX. dedicata eſt hæc Eccleſia ad ho-
norem Beatæ Mariæ virginis, & omnium
Sanctorum, per manus venerabilis Ioan-
nis Anagnini, & Ioannis Gabini Epiſco-
porum, aſſiſtentibus eis venerabilibus
Abbatibus de Ioãne Villa magna, & Ioanne

S.Mariæ de Vulſilla. In cuius altari ſunt hæ reliquiæ reconditæ; De ligno crucis. De ligno menſæ, in qua Chriſtus cœnauit cum diſcipulis. De ſepulchro beatæ Mariæ, & B. Ioannis Euangeliſtæ. De lapide in quo lachrymatus eſt Chriſtus. De reliquijs S. Andreæ Apoſtoli, S. Iacobi Apoſtoli, S. Thomæ Apoſtoli, Simonis & Iudæ, Matthiæ, atque Laurentij martyris: Fabiani & Sebaſtiani, Nicandri presbyteri, Xyſti Papæ & martyris, Feliciſſimi & Agapiti martyrum, Coſmæ & Damiani, Liberati, Paterni, & Honorati martyrum, Chryſanti & Dariæ, Innocentum, S. Hermanni martyris, ſanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutheri, Quintini Epiſcopi & martyris, ſanctorum Nerei & Achillei, Domitillæ virginis. De colûmna Chriſti, & de ſepulchro. De lapide, ſuper quo Chriſtus transfiguratus eſt. De lapide ſpeluncæ, vbi S. Maria Magdalene fecit pœnitentiam. De brachio S. Maximi. Item pateat omnibus euidenter, quomodo tempore presbyteri Petri eccleſiæ S. Mariæ Sanctuariæ, Sanctiſſimus D. N. in Chriſto pater & D. Bonifacius papa IX. omnibus viſitantibus præſentem Eccleſiam Annunciatæ, pœnitentibus & confeſſis, in die Annunciationis eiuſdem menſis Martij, & prima Dominica Maij, conceſſit dictis duobus diebus, & quolibet dictorum duorum dierum illam eandem indulgentiam, quæ viſitantibus

Ec-

leſiam S. Petri ad Vincula de Vrbe illis
o diebus menſis Auguſti eſt conceſſa, per
uis temporibus duraturam. Dat. Ro-
apud S. Petrum IX. Kal. Nouem, ponti-
tus ſui anno VI. Chriſti MCCCXCIIII.
cas Lenus, Iulius Matthæus, Ioannes Ar-
ius cuſtodes, & Iacobus Cicearius came-
ius S. Confalonis, ſua opera inſtaurarunt
no Domini MDXVIII. menſe Martio, pon
catus S.D.N. Leonis X. papæ, anno V.
Nicolaus Seniorilis magiſtratus Vrbis à
retis, iuſſu Martini V. papæ, omnium Vr-
eccleſiarum reliquias ante C L. annos
llegit. Is de huius Eccleſiæ reliquijs ita
ibit: In Eccleſia Sanctæ Mariæ Annun-
tæ ſunt hæ reliquiæ in capſa lignea: San-
orum Apoſtolorum, ſancti Andreæ Apo-
li, ſanctorum Lucij, Bonifacij, & Ioan-
pontificum, Stephani, Laurentij, Coſ-
& Damiani martyrum, ſancti Nicolai e-
copi & Confeſſoris, ſanctarum Cathari-
& Marinæ virginum, & aliæ multæ.

Precandi formula.

Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Ma-
um hæreditatis myſterium, templum
ei factus eſt vterus neſciens virum: non
pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes
ntes venient, dicentes, Gloria tibi Domi-
. ℣. Ecce virgo concipiet, & pariet fili-
m. ℟. Et vocabitur nomen eius Emma-
uel. Oratio. Deus, qui de B. Mariæ vir-

ginis vtero verbum tuum Angelo nuntiante carnem ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, vt qui verè eam Dei genitricem credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

De III. Eccleſia S. Sebaſtiani.

QVIS eam quæ nunc ſupereſt S. Sebaſtiani baſilicam condiderit, adhuc certò inuenire non potui. Eam tamē antiquiſſimam, & ante mille & ducentos annos excitatam, teſtimonio ſunt duæ lapideę tabulæ. Quarum alteram ibidem locauit S. Damaſus papa: In altera mētio eſt Innocentij papæ primi, ſic:

Temporibus ſancti
Innocentij epiſcopi
Proclinus & Vrſus presbb:
Tituli Byzantij
Sancto martyri
Sebaſtiano ex voto fecerunt.

Quo fit, vt putem Conſtantini temporibus & ipſam extructam fuiſſe, ſupra toto terrarum orbe venerabile S. Calliſti papæ cœmeterium, pręſertim quum parietes qui eam ambiunt, antiquæ gentilium fabricæ inſeruirēt, &, vt opinor, militaris ſtatio ibidem eſſet. Cæterùm venerabilis hæc Eccleſia nobiliſſimo (vt dixi) Sancti Calliſti cœ-

me-

:terio impoſita eſt, via Appia ad ſecun-
m ab Vrbe lapidem, eodem cœmete-
& Catatumbis inſignis, de quibus pri-
ìm breui, mox de ipſa baſilica dicamus.
Cœmeterium igitur vetus, quod poſtea
ancto Calliſto papa amplificatum, ex eius
mine Calliſti appellatum eſt, multa ſan-
orum Pontificum Romanorum, & alio-
m martyrū corpora aliquādo continuit.
inc ijs omnib. ſpoliatum eſt. Sepulta in eo
ere XIIII. corpora ſanctorum Pontificum
omanorum, ſcilicet, Aniceti, Soteris, Pon-
ani, Antheri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Ste-
nani, Xyſti II. Dionyſij, Eutychiani, Caij,
uſebij, & Miltiadis. Item ſanctorum Seba-
iani, Ceciliȩ, Tertulliani presbyteri, Neme
j diaconi, Lucillæ filiæ eius, & aliorum in-
umerabilium ſacerdotum, & martyrum.
e hoc cœmeterio loqui puto Prudentium
oëtam Chriſtianum in carmine ad Valeria
um Aquileienſem epiſcopum, de paſſione
. Hippolyti epiſcopi Portuenſis & marty-
is, vbi ita ait:

nnumeros cineres ſanctorum Romula in
Vrbe
Vidimus ô Chriſti Valeriane ſacer,
ncíſos tumulis titulos, ſi ſingula quæris
Nomina, difficile eſt vt replicare queam,
antos iuſtorum populos furor impius hauſit,
Quum coleret patrios Troia Roma deos.
lurima literulis ſignata ſepulchra loquuntur

Martyris aut nomen aut epigramma aliquod.
Sunt & muta, tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerū.
Quanta virum iaceant congeſtis corpora aceruis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub vna
Reliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus,
Vtpote quos propriæ iunxit amicitiæ.
Hæc dum luſtro oculis, & ſicubi fortè latentes,
Rerum apices veterum per monumenta ſequor:
Inuenio Hippolytum, qui quondā ſchiſma Nouati
Presbyter attigerat noſtra ſequenda negans.
Vſq; ad martyrij prouectum inſigne tuliſſe
Lucida ſanguinei præmia ſupplicij.

Damaſus Papa. Hic fecit (inquit) aliud cœmeterium via Appia, vbi multi ſacerdotes, & martyres requieſcunt, quod appellatur vſq; in hodiernum diem Cœmeterium Calliſti. In eo cœmeterio erant Catacumbę, vbi aliquando iacuerunt corpora ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum multorum ſanctorum, de quibus ita ſcribit Damaſus papa: Sanctus Cornelius Papa rogatus à quadam matrona Lucina nomine,

pora beatorum Petri & Pauli, de Cata-
nbis leuauit noctu: primum quidem cor
beati Pauli beata Lucina poſuit in præ-
ſuo via Oſtienſi, ad latus vbi decollatus
Beati verò Petri corpus accepit B. Cor-
ius Epiſcopus, & poſuit iuxta locum vbi
ucifixus eſt, inter corpora ſanctorum Epi
porum, in templo Apollinis, in monte
reo, in Vaticano, Palatij Neronei in 3. Ka-
id. Iulij. Bibliothecarius in vita Damaſi
pæ: hic dedicauit Platoniam in Catacum
, vbi corpora ſanctorum Apoſtolorum
tri & Pauli iacuerunt, quam verſibus or-
uit Beda in libro de ratione temporum.
ſtus III. Papa fecit Platoniam in cœmete-
o Calliſti via Appia, vbi nomina epiſcopo-
m & martyrum ſcripſit. Ea commemo-
ns S. Gregorius Papa regiſtri libro 3. epiſt.
. ad Cõſtantinam Auguſtam, De corpori-
s verò beatorum Apoſtolorum quid ego
cturus ſum? dum conſtat, quia eo tempo-
, quo paſſi ſunt, ex Oriente fideles vene-
unt, qui eorum corpora ſicuti ciuium ſuo-
um repeterent. Quæ ducta vſque ad ſecun-
lum Vrbis milliarium, vſque ad locum qui
licitur ad Catacumbas, collocata ſunt: ſed
dum ea deinde leuare omnis eorum multi-
tudo conueniens niteretur, ita eos vis toni-
trui atq; fulguris nimio impetu terruit, atq;
diſperſit, vt talia denuò nullatenus attenta-
re præſumerent. Tunc autem exeuntes Ro-

mam, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis vbi ſunt condita, poſuerunt. Et paulò ſupra: Corpora ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, tantis in Eccleſijs ſuis coruſcant miraculis, atque terroribus, vt neque ad orandum, ſine magno illuc timore poſſit accedi.

Catacumbæ porrò, ſiue Catatumbæ, eſt vetuſtiſſimum Chriſtianorum, perſecutionum tempore, ſacellum, in antiquo cuiuſpiam nobis familiæ Romanæ ſepulchri hypogeo, à S. Calliſto papa fabricatum, quando is corpora Apoſtolorum Petri & Pauli tranſtulit, & cœmeterium de ſuo nomine extruxit vel refecit. Catatumbarum forma eſt circularis, cum fornice teſtudineato, ad quas triginta gradibus deſcenditur. Habent quatuor ſpiracula, lumen deſuper admittentia, cum ſepulchris XIIII. circa locatis. Eo loci adhuc ſuperſunt auguſtiſſimæ antiquitatis veſtigia. Ibi adhuc eſt amplum & vetuſtiſſimã antiquitatem referens marmoreum altare, ſub quo corpora Apoſtolorum iacuerunt, in quo Romani pontifices martyres Miſſas celebrabant. Ibi in medio adhuc è rudi marmore humilis & ſimpliciſſimus extat ſanctiſſimorum illorum pontificum Calliſti, Vrbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij martyrum epiſcopalis thronus, ibi extant adhuc clericorum S.R.E. cir

cum-

ncirca latentia ſedilia : ibi extant me-
na, ſiue podia paulò altiora, quibus ob
i anguſtiam plebs fidelis ſacris myſterijs
ıbat : ibi demum extant in circuitu mar
rum ſepulchra, quorum ſacroſancta erat
moria, tumbarum more facta, & ſimpli-
ous aliquot gypſeis emblematibus orna-
, non ſine veneratione viſenda, oſculan-
, adoranda. atque hactenus de catatum-
s. Nunc reliqua quæ de cœmeterio Calli-
conſtituimus, afferamus : in cuius ini-
eſt altare, ſub quo iacet corpus S. Seba-
ani, infra verò in alio altari corpus San-
us Lucinæ matronæ Romanæ: ad quæ per
alam eſt deſcenſus. Hoc altare conſecra-
it Honorius papa III. vt tabella ibidem
oſita docet, ſic : Anno incarnationis Do-
inicæ MCCXVIII. dedicatum eſt hoc al-
are à papa Honorio III. aſſiſtentibus ſibi
uamplurimis ſanctæ ſedis Apoſtolicæ præ-
tis, in honorem S. Sebaſtiani martyris. In
uo reconditæ ſunt infraſcriptæ reliquiæ:
Primo corpus ſancti Sebaſtiani martyris, ſo
iorumq́ eius. Reliquiæ Apoſtolorum Petri
& Pauli, Iacobi fratris Domini, Philippi, &
Matthiæ apoſtolorum, ſanctorum Fabiani,
Stephani, Marci, & Damaſi pontificum, Va-
lentini & Demetrij martyrum, Lucinæ, &
Barbaræ virginis. Alterū verò minus altare,
quod reſpicit ad introitum eccleſiæ verſus
orien-

orientem,conſecratum fuit 12.die Nouem. à S. Cornelio papa rogatu S. Lucinæ, quæ poſtmodum corpus S.Sebaſtiani in alio prædicto altari, quod eſt in eadem ſtructura, ſepeliuit. Hoc loco multæ ſunt indulgentiæ, à Romanis ſummis pontificibus conceſſæ. Hinc in ſubterraneam cryptam, in qua ſanctorum martyrum corpora in loculis in topho excauatis ſepeliebãtur, aditus eſt. Quã ego aliquoties ingreſſus, cuncta attente perluſtraui. Viſuntur ſub terra ſacella aliquot, à quibus cryptæ diuerſæ exeunt. Totius huius cœmeterij exitus, eſt per portam aliam, quæ mediæ eccleſiæ parieti ineſt, cui ſupraſcripti ſunt hi verſiculi:

Viſitet hic pia mens ſanctorum iuſta frequenter,
In Chriſto quorum gloria perpes erit.

Leo Magnus papa fecit baſilicam Beato Cornelio papæ & martyri, iuxta cœmeterium Calliſti via Appia: ita Bibliothecarius. Adhuc circa eccleſiam S.Sebaſtiani, & illud cœmeterium ſuperſunt multa vetuſta ædificiorum veſtigia, quæ Chriſtianorum ex eorum forma fuiſſe videntur, partim ex nouo conſtructa, partim ex vetuſtis gentilium fabricis & ſepulchris, in Chriſtianorum vſum conuerſa. Nam præter Leonem papam, Damaſum quoque baſilicam ibidem

em exædificaſſe, auctor eſt idem Bibliothe
rius.

Baſilica S. Sebaſtiani in vetuſtiſſimo Ro-
anorum ethnicorum ædificio (vt ſupra
xi) conſtructa, veſtibulum ante ſe, intus
erò aliquot altaria habet. In maiori (quod
nctiſſimam Euchariſtiam continet) ſepul-
m eſt corpus Sancti Stephani Papæ & mar
ris, in hoc cœmeterio occiſi. In eadem
cceleſia conditum fuiſſe corpus ſancti Eu-
chij martyris, teſtatur hoc epigramma
arieti affixum, à ſancto Damaſo Papa edi-
m:

utychius martyr crudelia iuſſa tyranni
arnificumq́; vias, pariter tunc mille nocendi
incere quod potuit, monſtrante gloria Chri-
ſti,
arceris inluuiem ſequitur noua pœna per ar-
tus,
eſtarum fragmenta parant, ne ſomnus adiret
is ſeni tranſiere dies, alimenta negantur,
Mittitur in barathrum ſanctus lauat omnia
ſanguis,
ulnera quæ intulerat mortis metuenda pote-
ſtas,
octe ſoporifera turbant inſomnia mentem,
ſtendit latebra inſontis qua membra tenerēt,
uæritur, inuentus colitur, fouet, omnia pra-
ſtat,
xpreſſit Damaſus, meritum venerare ſepul-
chrum.

Ir

In media Eccleſia fuit olim altare reliquiarũ, quod ante aliquot annos loco illo motũ, læua baſilicæ parieti appoſitum eſt. In quo eiuſmodi reliquiæ reconditæ venerantur. Tabula marmorea cum veſtigijs pedum D. N. Ieſu Chriſti, quando apparuit S. Petro. Vna de ſpinis Coronæ, qua fuit coronatus D.N. Ieſus Chriſtus. Reliquiæ S. Petri Apoſtoli, ſcilicet, digitus, dens, coſtæ pars, & alia quædam. Dens S. Pauli Apoſtoli. Brachij S. Andreæ Apoſtoli fruſtum. Caput & brachium ſancti Fabiani papæ & martyris. Capita ſanctorum Calliſti, & Stephani pontificum : item, capita ſanctorum Nerei, Achillei, Acoriſti, Valentinæ, & Lucinæ martyrum. Brachium ſancti Sebaſtiani. Columna quo alligatus fuit dum ſagittaretur. Ferrum vnius ſagittæ in eum iaculatæ. Reliquiæ aliæ ſancti Fabiani papæ, Sebaſtiani martyris, Stephani papæ, Acoriſti martyris. Calix plumbeus cum cinere & oſſibus S. Fabiani.

In hac baſilica ſunt quinq; altaria, priuilegijs & multis indulgentiarum remiſſionibus ornata. Tria, de quibus ſupra diximus, Maius S. Sebaſtiani, & reliquiarum, itẽ duo alia S. Crucifixi, & S. Fabiani papæ & martyris.

Sunt in hac baſilica maximæ indulgentiæ & remiſſiones peccatorum, vt ex ſcriptis tabellis apparet. Et primo ad altare S. Se-

ſtiani, ſic: In iſto loco promiſſio vera eſt, & eccatorum remiſſio, ſplendor, lux perpe-a, & ſine fine lætitia, quam promeruit S. hriſti martyr Sebaſtianus.

Supra oſtium cœmeterij Calliſti, ſic: Hoc t cœmeteriũ S. Calliſti papæ & martyris in yti. Quicunq; illud contritus & confeſſus greſſus fuerit, plenam remiſſionem om-um peccatorum ſuorum obtinebit, per erita glorioſa multorum millium ſancto-m martyrum, quorum ibi corpora in pa-ſepulta ſunt: qui omnes ex magna tribula one venerunt, & vt hæredes fierent in do-o Domini, mortis ſupplicium pro Chriſti omine pertulerunt.

Singulis diebus Dominicis menſis Maij, die ſanctorum Fabiani, & Sebaſtiani, ma-næ in hac Eccleſia ſunt remiſſiones & in-ulgentiæ peccatorum.

Hæc Eccleſia antiquitus per clericos, po-ea per monachos culta fuit. Alexander II. papa conceſſit Ioanni Diacono Cardi-ali, Priori & Fratribus Canonicis regula-bus diaconicæ ſanctæ Mariæ Nouæ, hane ncti Sebaſtiani Eccleſiam cum redditibus ıis. Quam poſteà anno MCLXVII. Diuus lieronymus Diaconus Cardinalis ſancti Mariæ Nouæ, conſentiente Hugone Prio-e eiuſdem monaſterij, donauit congre-ationi Ciſtertienſi cum ſuis redditibus, ræter vineas poſitas extra portam Appiam

iu

in loco qui dicitur S. Apollinaris, Antoniana, & Montis Albini, cum cenſu duarum librarum thuris in Aſſumptione B. Mariæ Virginis. Quam adhuc fratres Ciſtertienſes, ad paucos tamen in ea redacti, tenent cum ſuo Abbate, omnium certè orbis Eccleſiarum deuotiſſima.

Precandi formula.

Ad altare maius ante ſanctiſſimum Sacramentum. Pater noſter. Aue Maria. III. Pſalmus pœnitentialis: Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorũ meorũ. Quoniã iniquitates meæ ſupgreſſæ ſunt caput meũ, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Putruerũt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipiẽtiæ meæ. Miſer fact9 ſum & curuatus ſum vſq; in finẽ, tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Cor meum conturbatum eſt in me: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt,

eru t, & ſteterunt. Et qui iuxta me erant,
e longè ſteterunt : & vim faciebant qui
uærebant animam meam. Et qui inquire-
ant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & do-
os tota die meditabantur. Ego autem tan-
uam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus
on aperiens os ſuū. Et factus ſum ſicut ho-
io non audiens . & non habens in ore ſuo
edargutiones. Quoniam in te Domine
peraui: tu exaudies me Domine Deus me-
s. Quia dixi, ne quando ſupergaudeāt mi-
i inimici mei: & dum commouentur pe-
es mei, ſuper me magna locuti ſunt. Quo-
iam ego in flagella paratus ſum : & dolor
neus in conſpectu meo ſemper. Quoniam
iiquitatem meam annunciabo: & cogita-
o pro peccato meo. Inimici autem mei vi-
unt, & confirmati ſunt ſuper me: & mul-
plicati ſunt qui oderunt me inique. Qui
etribuunt mala pro bonis, detrahebant
iihi, quoniam ſequebar bonitatem. Ne de-
elinquas me Domine Deus meus, ne diſceſ-
ris à me. Intende in adiutorium meum,
omine ſalutis meæ. Gloria patri & filio,
cc. Oratio. Omnis dati optimi, & om-
is doni perfecti liberaliſſime largitor mi-
ricors Deus, qui eleemoſynarum largitio-
es vtriuſque teſtamenti tabula commen-
aſti : inclina cor noſtrum in teſtimonia
ua, & non in auaritiam, & da nobis tempo-
alia pro nomine tuo libentiſſimè tribuere:
I &

& cupiditatem, quæ radix omnium malorum eſt, à cordibus noſtris radicitus euellere, aliena nō appetere, propria pro te nō ex triſtitia, ſed læta manu largiri, ſic vt hilares datores à te diligi mereamur, q in Tritate perfecta viuis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum Amen.

Ad altare Catatumbarum. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti : & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto exultant ſine fine. ℣. Orate pro nobis ſancti Dei martyres. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oratio. Infirmitatem noſtram, quæſimus, Domine, propitius reſpice, & mala omnia, quæ iuſte meremur, ſanctorum Pontificum, & martyrum, quorum memoriam hic colimus, intereeſſionibus propitius auerte. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad altare S. Sebaſtiani ad oſtium cryptæ cœmeterij Calliſti. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Viri ſancti glorioſum ſanguinem fuderunt pro Domino, amauerunt Chriſtum in vita ſua, imitati ſunt eum in morte ſua, & ideo coronas triumphales meruerunt. ℣. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione. ℟. Et lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Oratio. Deus, qui Beatum Sebaſtianum martyrem tuum ita

in

in tua fide & dilectione ſolidaſti, vt nullis tormentis à tua cultura potuerit reuocari: da nobis eius intercesſionibus in tribulatione auxilium, in perſecutione ſolatium, contra omnes diabolicas inſidias munimẽ, vt bonis operibus abundantes æternæ beatitudinis præmia conſequi mereamur. Per Chriſtum Dominum.

Ad altare reliquiarum. Pater noſter. Aue Maria. Oratio. Deus, qui nos concedis ſanctorum martyrum tuorum ſuffragijs adiuuari, da nobis in æterna beatitudine, de eorum ſocietate gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Ad aliud altare Crucifixi. Pater noſter, & Aue Maria.

De ſacello, Domine quo vadis, vocato.

Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus, vir egregiæ ſanctitatis & doctrinæ, in apologia de fuga ſua ſcribit, Sanctum Petrum Apoſtolum audiſſe à Domino quòd oporteret ſe Romam conferre: itaque profectionem illam non recuſaſſe, ſed prompto atque alacri animo ad eam Vrbem profectũ, libenter ac fortiter pro Chriſti confeſſione martyrium pertuliſſe. Conuenit cum Athanàſio, Ambroſius Mediolani Epiſcopus, doctor illuſtris & ſanctus. Eſt in Oratione, qua ſanctiſſimus ille vir in Auxentium de baſilicis tradendis inuehit: his verbis ſcriptum. Petrus victo Simone cum præcepta

Dei populo ſeminaret, doceretq́ caſtimoniam, excitauit animos Gentilium: quibus eum quærentibus, Chriſtianæ animæ deprecatæ ſunt, vt pauliſper cederet. Ille quamuis eſſet cupidus paſſionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus eſt. Rogabatur enim vt ad inſtituendum, & confirmandum populum ſe reſeruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, Vrbemq́ ingredi, ait: Domine, quo vadis? Reſpondit Chriſtus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum. Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paſſione ſuſceptæ mortis exuerat. Quod enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus quòd iterùm Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo. Itaque ſponte remeauit, interrogantibus Chriſtianis reſponſum reddidit, ſtatimq́ue correptus, per crucem ſuam honorificauit Dominum Ieſum. Hæc ſcripſit Beatus Ambroſius, quæ multis annis antea memoriæ prodiderat Hegeſippus vicinus Apoſtolorum temporibus, vt licet legere in eorum quæ ſcripſit de Hieroſolymitano excidio libro tertio. Hæc eadem legimus in libro de Martyrio ſanctorum Apoſtolorum Græcè ſcripto, ex quo hæc deſcripſimus: Ante paucos dies rogatus à fratribus ſece-

de-

debam:& ecce vidi Dominum meum Ieſum Chriſtum,quem adoraui, & his verbis affatus ſum: Domine, quo vadis? Venio (inquit ille) Romam iterum crucifigi. Sequens igitur illum, reuerſus ſum Romam. Paulò pòſt in eadem martyrij hiſtoria ſcriptum eſt: Suſtulerunt corpus ſancti Petri clam, & poſuerunt illud ſub Terebintho propè Naumachiam in loco qui dicitur Vaticanus. Hæc ex hiſtoria illa martyrij beatiſſimorum Apoſtolorum græcis literis, ijsq; vetuſtiſſimis ſcripta, hic tranſtulimus, vt multis probatis teſtimonijs oſtenderemus diuina quadam diſpoſitione factum fuiſſe, vt Petrus Apoſtolus Romam reuerſus martyrium illic pateretur, quemadmodum Innocentius Tertius Romanus Pontifex rectè his verbis annotauit: Locus quem elegit Dominus, Apoſtolica ſedes eſſe cognoſcitur, ſi quod eam Dominus in ſe ipſo lapide angulari fundauerit, attendatur, cum inquit ad Petrum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis; &c. Vnde cum ipſe Petrus Vrbem fugiens exiuiſſet, volens Dominus eum ad locum quem elegerat reuo-

care, interrogatus ab eo, Domine quo vadis? Reſpondit, Venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens Petrus pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Idem Innocentius in alio ſermone: Traditur (inquit) Dominus Ieſus occurriſſe B. Petro, & tam ipſi, quàm pro ipſo dixiſſe: Venio Romam iterum crucifigi. Ita Innocentius III. papa.

In huius rei memoriam haud longè à porta S. Sebaſtiani via Appia ſacellum antiquitus conditum fuit, noſtro ſæculo Reginaldi poli Cardinalis Britanni iuſſu, impenſa Hoſpitalis Anglorum renouatum. Quod hac precatiuncula prætergrediēs pius Chriſtianus viſitare non pigeat. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Tu es paſtor ouium, princeps Apoſtolorum, tibi traditæ ſunt claues regni cœlorum. ℣. Tu es Petrus. ℟. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Oratio. Deus, qui Beato Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus regni cœleſtis animas ligandi atque ſoluendi pontificiū tradidiſti, concede, vt interceſſionis eius auxilio, à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

De IIII. ſacroſancto baſilica S. Saluatoris Lateranenſi.

BAſilica S. Saluatoris, quæ à loco, Lateranenſis, à conditore, Conſtantiniana, ab ornamentis, Aurea vocata eſt, ædificata fuit cum propinquo Patriarchio, Romanorum pontificum vſui, à pio Conſtantino Imperatore in Cælij montis dorſo, & à ſancto Silueſtro V. Idus Nouembris conſecrata, circiter annum CHRISTI CCCXX.

Familiæ Lateranæ, à qua ædes Lateranenſes vocatæ, multa mentio eſt in hiſtorijs Romanis. Tabulæ conſulares Capitolinæ. L. Sextium Lateranum primum è plebe, Iulius Capitolinus Sextelium Lateranum cum T. Vero Imperatore. Faſti alij conſulares eundem cum Aquillio Orfito conſules profitentur. Antiquus lapis Auguſtæ Vindelicorum, App. Claudium Lateranum conſulem. Cornelius Tacitus lib. xv. Plautium, Lateranum Coſ. deſignatum, à Nerone interfectum. In cuius domo baſilicam Lateranenſem poſtea exædificatam fuiſſe, in epitaphio Fabiolæ tradit D. Hieronymus. Sex. Aurelius Victor alium Lateranum copiarum ducem, virum Conſularem præcipuum, Seueri Imperatoris amicum commemorat. Egregias ædes Lateranas in monte Cœlio, Iuuenalis ſatyra X. Iulius

Capitolinus in vita Marci Imp. Sex. Victor in vita Seueri, P. Victor, & Sex. Rufus in libris de regionibus Vrbis Romæ repetunt. Victor quidem ſic: Seuerus Imperator Lateranum, Cilonem, Annulinum, Baſſum, cæterosq́ alios ditauit, ædibus quoq; memoratu dignis, quarum præcipuas videmus quæ Parthorum dicuntur, & Laterani. Egregias has ædes progreſſu temporis poſſedit Fauſta Auguſta Maximiani Herculij filia, Conſtantini Pij Imperatoris vxor, vt libro 6. contra Donatiſtas tradit Optatus Mileuitanus Epiſcopus. Qui auctor eſt, Miltiadem Epiſcopum Romanum XIX. Epiſcoporum Concilium Romæ in domo Fauſtæ Lateranenſi celebraſſe, anno ſalutis CCCXIII. Conſtantino, & Licinio Augg. III. Conſulibus, VI. nonas Octobris, in cauſſa Cæciliani Epiſcopi, Carthaginienſis. Quo anno IIII. Idus Decembris, Miltiadi papæ mortuo, ſucceſſit S. Silueſter: cuius rogatu (vt Damaſus tradit) Conſtantinus Imperator aliquot Romæ magnas Baſilicas, in his Lateranenſem in Sanctis Saluatoris honorem, cum propinquo palatio, in ædibus vxoris Fauſtæ conſtruxit, ſanctoq́ Silueſtro donauit.

Cæterùm in baſilicæ Lateranenſis anniuerſario Dedicationis die, Laterani ex Romanorum pontificum auctoritate, confeſſis, & contritis magnæ indulgentiæ, & pec-

cato-

peccatorum remiſſiones conceſſæ ſunt. omanis quidem, & finitimis annorum M. uſcis, & Tranſpadanis M M. Tranſalpinis M M. Quæ indulgentia eadem, ibidem eſt r. v. in Cœna Domini. Eas omnes indulentias baſilicæ Lateranenſis confirmarũt, auxerunt Alexander IIII. anno MCC-X. & Bonifacius V I I I. Papa, Anno ICCC.

Huius ſacroſanctæ Baſilicæ frequens in etuſtis Eccleſiæ monumentis mentio eſt. rudentius lib. 1. contra Symmachum Vris præfectum, vbi plebem Romanam in hriſtum credidiſſe commemorat, ita ſcriit: Poſt hinc ad populum conuerte ocuos: quis in Vrbe eſt.

Qui Iouis infectam ſanie non deſpuat aram?
mnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus
Quiq; terit ſilicem varijs diſcurſibus atram,
t quem panis alit, gradibus diſperſus ab altis.
Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes.
œtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
nde ſacrum referat regali chriſmate ſignum.

Eximiam huius baſilicæ præſtantiam teſtantur hi verſiculi, qui paſſim per eccleſiam ncisi erant.

Aula Dei hæc ſimilis Synai ſacra iura ferenti,
Ut lex demonſtrat, hic quæ fuit edita quondam
Lex hinc exiuit mentes quæ ducit ab imis,

Et vulgata dedit lumen per climata ſecli

Flauius Conſtantius felix victor magiſter vtriuſq; militiæ Patricius, & conſul ordinarius, & Paduſia illuſtris fœmina eius vxor voti compotes de proprio fecerunt.

Extabant & alij verſus, quanquam barbari, lectu tamen digni.

Agnoſcant cuncti ſacro baptiſmate functi
Quod domus hæc munda nulli ſit in orbe ſecunda:
Nam quum papalis locus hic ſit, & cathedralis,
Primatum mundi meruit ſine lite rotundi:
Contendat nemo ſecum de iure ſupremo
Omnis ei cadit locus, & reuerenter obedit.
Hunc Conſtantinus in cœlum mente ſupremus
Lepra mundatus intus, foriſq; nouatus
Fũdauit primus factum quod in ordine ſcimus,
Et ſeries rerum cogit nos ſcribere verum.
Chriſti ſucceſſor primus fideiq; profeſſor
Petrus, ab hac ſede laxauit retia prædæ
Claue poteſtatis recludens regna beatis.

Supra peryſtilium exterioris baſilicæ porticus, eiuſdem propemodum ſententiæ, & hi verſus ſunt:

Dogmate Papali datur ac ſimul imperiali
Quod ſim cunctarum mater caput eccleſiarum.
Hinc ſaluatoris cœleſtia regna datoris
Nomine ſanxerunt cum cũcta peracta fuerunt.
Sic vos ex toto conuerſi ſupplice voto,

No-

oſtra ꝙ hæc ædes tibi Chriſte ſit inclyta ſedes.

In abſida verò baſilicæ ſupra marmoreã ſedem, quæ in medio extat ante aram maximam; vbi papa ſedere ſolet quando ſacris intereſt, ſunt & alij verſus, ſic.

Hæc eſt papalis ſedes, & pontificalis
Præſidet, & Chriſti de iure Vicarius iſti,
Et quia iure datur ſedes Romana vocatur,
Nec debet vere, niſi ſolus Papa ſedere,
Et quia ſublimis, alij ſubduntur in imis.

Poſt Conſtantini tempora, vt ex Bibliothecario intelligitur, primus Leo papa camerã in hac Baſilica fecit, quam eſſe exiſtimo porticum illam rotundam, quæ retro tribunam adhuc ſupereſt.

Stephani VII. papæ anno primo, ſalutis verò DCCCXCVI. ingenti terræmotu, eiuſdem baſilicæ tectum, & magna parietum ſuperiorum pars vſq; ad periſtylium, ab abſida vſq; ad porticum ante Eccleſiam, corruit. Quam ſeptennio poſt, Sergius III. papa anno CMII. Creatus, omnino reparauit, pulchrioremq́; reſtituit, muſiueis ſignis ornauit eius aurea argenteaq́; ornamenta refecit. Eius rei memoria extabat in his verſiculis abſidæ, ex muſiuo depictis, qui exoleuerunt.

Auguſtus Cæſar totum quum duceret orbem,
Condidit hanc aulam Silueſtri chriſmate ſacrã
Iamq; ſalutifera lepra mundatus ab vnda
Eccleſia hic ſedem conſtruxit primus in orbem.

Sal-

Saluatori Deo qui cuncta ſalubriter egit
Cuſtodemq́; loci pandit te ſancte Ioannes
Inclinata ruit ſenio voluentibus annis
Spes dum nulla foret veſtigia priſca recondi
Sergius ad culmen perduxit tertius ima
Ceſpiteq́; ornauit pingens hæc mœnia papa.

Supra fores verò baſilicæ, interiori parte hæc carmina è muſiuo ſcripta erant.

Sergius ipſe pius papa hanc, qui cœpit ab imis
Tertius expleuit iſtam, quam conſpicis aulam.

Ioannes etiam XII. qui anno CMLVI. creatus eſt, eandem baſilicam renouauit. Innocentius verò II. qui Canonicus regularis in monaſterio Lateranenſi fuerat pontifex anno MCXXX. renunciatus, ſuis ſumptibus tectum baſilicæ Lateranenſis ruinæ proximũ refecit, nouis trabibus repoſitis, quas Rex Siciliæ Rogerius pontificis rogatu eidem Eccleſiæ de Calabria tranſmittens, donauerat. Turrim quoque campanarum eiuſdem Eccleſiæ, quæ caſum minabatur, renouari iuſſit, & quam plurima dona eidem baſilicæ obtulit Anaſtaſius autem IIII. qui & ipſe canonicus regularis fuerat, anno Domini MCLIIII. multis fabricis, & ædificijs baſilicam hanc auxit & exornauit. Longo tempore poſt, Nicolaus papa IIII. ex Ordine fratrum Minorum ad Pontificatum anno MCCXXCVIII. aſſumptus anteriorem, poſterioremq́; baſilicæ partes ruinoſas fortiſſimis repagulis additis firmauit, quod ex ſequen-

enti tabula in abſida, ſiue tribuna eiuſ-
m baſilicæ è muſiuo exarata intelligitur.

rtius Eccleſiæ pater Innocentius hora,
ua ſeſe dederat ſommo nutare ruinæ
nc videt Eccleſiam, mox vir pannoſus, & aſper
eſpectuſq́; humerum ſupponens ſuſtinet illam.
At pater euigilans Franciſcum proſpicit, atq;
erè eſt hic, inquit, quem vidimus, iſte ruentem
ccleſiamq́; fidemq́; feret, ſic ille petitis
unctis conceſſis liber lætuſq́; receſſit,
anciſci proles primus de ſorte Minorum
ieronymus quarti Nicolai nomine ſurgens
omanus præſul partes circumſpicit huius
ccleſiæ certa iam dependere ruina,
Ante retroq́; leuat, deſtructa reformat, & ornat,
t fundamentis partem componit ab imis.
ſtremo quæ prima Dei veneranda refulſit
iſibus humanis facies hæc integra ſiſtens
uo fuerat ſteteratq́; ſitu relocatur eodem:
aſidis ecce tui Deus hæc amplectere vota
uæ tibi perſoluit domus huius ornando decorem,
erua mirifica cœlo terraq; beatum
ffice nec manibus tradas hunc hoſtis iniqui.
ngrediens populus deuotus munera ſumat
ua bonus hic paſtor dedit indulgẽdo benigne,
t larga pietate pater peccata remittens.

Anno

Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti MCCXCI. Pontificatus eiuſdem Domini Nicolai papæ anno III.

Idem Pontifex totam baſilicæ abſidam è muſiuo B. virginis, & aliquot apoſtolorum imaginibus depictis ornauit, quemadmodum etiam ex hoc elogio ſub muſiuo exarato liquet.

PARTEM POSTERIOREM ET ANTERIOREM RVINOSAS huius ſancti templi à fundamentis reædificari fecit, & ornari opere muſaico Nicolaus papa IIII. filius S. Franciſci, & ſacrum vultum Saluatoris integũ rreponi fecit in locum, vbi primum miraculosè populo Romano apparuit, quando fuit iſta Eccleſia conſecrata, Anno Domini MCCXCI.

Poſtea Bonifacius papa VIII. qui triennio poſt Nicolaum IIII. pontifex fuit, eandem baſilicam multis fabricis renouatis reſtituit, quod antiqua marmorea hac inſcriptione conſtat.

Qui fœtidam dedit eſca lepra viſuq; peroſam
Et maculata fides multa cum fece luctoſam
Conſtantinus, ait? pueros pietate trucidam
Impia lex, pietate datur mihi ſubdere terram:
Stant Petrus & Paulus, Siluestri ſuſcipe normam,
Et rectam fidem ſanctiſſimo fonte renatam,
Ac per transuerſos montes colleſq; fugatam

Lis

Liberat ille cœlis, tenet Vrbis Papa coronam
Inde prior generoſa mater Baſilica preſens
Facta fuit ſtabilis, quamuis lacerata per hoſtes,
Tandem conualuit ruſticam relinquendo cateruam.
Papa Bonifacius veniens Octauus in eam
Auxit, poſuit de multis nobile germen
Qui noua progenies ipſo faciente ſubacti
Sic fugiant vitium quod non ſcint cauere vetuſti,
Hic ſunt ſcriptarum cuſtodes reliquiarum
Hic ſunt miſſarum factarum à Deo rerum.

Nouiſſimè Anno Domini MCCCVIII. Papa Clemente V. in Gallijs reſidēte, menſe Iunio, dum Canonici in choro horam Veſperorum cantarent, & iam hymnum (Magnificat anima mea Dominum) inchoaſſent, negligentia quorundam artificum, qui laminas plumbeas tecti baſilicæ Lateranenſis reſarciebant, verſa eſt olla in qua ignis erat pro plumbeis chartis cum reſina & pice conglutinandis, ex cuius verſione ignis in trabibus tecti accenſus eſt, qui flante auſtro adeo exarſit, vt totum tectum Eccleſiæ, adiacentes Canonicorum ædes, porticum qua à baſilica itur ad palatium, & Patriarchium ipſum omne conſumpſerit, parua tantum ſancti Laurentij ædicula, quæ Sancta ſanctorum dicitur, excepta, in qua tunc cum multis alijs reliquijs capita Apoſtolorum Petri, & Pauli re-

recondita erant. Quo incendio magna theſauri, ornamentorumq́ auri & argenti copia cum ingenti veſtium ſuppellectile conſumpta eſt. Qua propter anno qui ſequutus eſt, Clemens papa V. miniſtros ſuos magna cum nummorum copia inſtructos miſit, quorum opera Baſilica, Canonica, Porticus & Palatium Lateranenſe in ampliorem & elegantiorem formam reſtituta ſunt, non ſine magno tamen pecuniarum diſpendio, aliquotq́ annorum interuallo. Hæc Ioannes Villanus lib. 8. cap. 97. Quo incendio & reſtitutione, multa imò ferè omnia tum altaria tum ſepulchra, item chorus, pulpita, & ſimilia ornamenta, vel mutata ſunt, vel omnino ſublata.

Gregorius XI. qui ante pontificatum Archipresbyter huius baſilicæ fuerat, portam quæ ſeptentrionem reſpicit, ampliſſimo opere ex elegantiſſimis parijs marmoribus fecit, cum ad Vrbem Romanam curiam ex Gallijs reduxiſſet. Martinus Papa V. pauimentum fere omne baſilicæ (quod in media maioriq́ naui eſt) ex lapide teſſellato, & emblematibus fecit, quemadmodum ex eiuſdem inſignibus liquet. Sed etiam Eugenius columnas ferè omnes primæ contignationis, maioris videlicet tophori incendio confractas & ruinoſas, opere cocto, & lateribus veſtiuit, arcusq́ inter columnia fecit, quod opus Baſilicæ & ornamento & conſeruationi

ni eſt. Idem Martinus baſilicam pulcherrimo opere pingi iuſsit à Petro Piſano, ſed morte interceptus, opus perficere non potuit: quod cùm Eugenius IIII. qui ei ſucceſſit, perficere decreuiſſet, ciuili diſcordia vrbe pulſus, opus imperfectum reliquit. Xytus IIII. turrim campanarum vetuſtate col abentem refecit, & baſilica omni repurgata, eius latera ſtrauit. Alexander VI. arcum nte baſilicā magnis duabus columnis ſubtentatum, quo totius Eccleſiæ tectum ſubtinetur, & tectum ad aram maximam contruxit. quemadmodum ex eius inſignijs, quæ adhuc ſuperſunt, apparet. Pius IIII. ædificandi ſtudioſiſsimus, turres campanarios, frontem Eccleſiæ verſus ſeptentrionem, aquearia Eccleſiæ deaurata admirabili artificio, & ſignis diſtincta fecit. Cæterùm Antonius Martini de Clauibus Cardinalis Portugalenſis, & eiuſdem Baſilicæ Archipresbyter, organa quę nunc in baſilica ſunt, uis expenſis fecit.

Baſilicæ Lateranenſis frons verſa eſt ad orientem ſolem. Ante quam porticus, area uderibus plena, palatium pontificum Lateranenſe, & quidam horti, quos olim Pontificum vſibus fuiſſe opinor, extant. In ipſa porticu ſunt quinque portæ, ſed tres præcipuæ; media maior, ab vtroque latere minores duæ: item alia cluſa, quæ ex Oratorio S. Thomæ, quod & Secretarium baſilicę dice-

batur, in porticum exibat: & quinta, quam ſanctam vocant, nunc clauſa, quæ Iobilei vigeſimo quinto quoque anno redeunte, reſerari ſolet. Extat inter duas fores ſedes marmorea antiqua figillata, quam imperitè quidam ſtercorariam vocant, in qua (vt ex antiquo cerimoniali libro intelligitur) Romanus Pontifex recens creatus, omnibus Cardinalibus aſtantibus, antiquitus ſedere ſolebat, pecuniam in populum ſpargere, & quaſdam prætereа cæremonias peragere. Baſilica habet teſtudinem (quam nauem vocant) medianam magnam, cum tecto contignato tabulis ligneis ornato, & pulcherrimis auratis laquearibus Pij IIII. opera factis. Suſtentantur altiſſimi parietes XXX. Craſſis columnis, & quatuor paraſtatis, duabus frontem totidem poſticum verſus locatis. Porticus (quas alas, & minores naues vocant) inter baſilicæ extremas parietes, & medianæ teſtudinis columnas, duplices ex vtraque parte ſunt, quarum proxima medianæ ea longè humilior, rurſum nouiſſima parietibus adhærens, altera paulò inferior eſt. Porticus ipſæ quatuor ex vtraque parte binæ, medio hinc inde pariete, duabus & quadraginta, è precioſiſſimo, omniumq; hilariore Lacedæmonio, viridi Tyberiaco marmore, paruis columnis cum elegantiſſimis capitulis ſuſtentato, interſecantur: olim parietes hi toti picti erant,
nunc

nunc ſigna exoluere. Inter medianam teſtudinem, eiuſqúe porticus ſiue alas, & chalcidicam, quam abſidam vel tribunam vocamus, magnum interuallum extat, baſilicæ crux vocatum, quod ad ſeptentrionem verſus maximam & inſignem portam habet. Ante has baſilicæ fores, eſt area maxima, quæ reſpicit formas aquæ Claudiæ, à cuius leua ſunt domus aliquot canonicorum, antiqua Hannibaldenſium de Molaria turris nunc dimidiata, & parietinæ quædam: à dextra verò, aula magna, quam concilij vocant. In poſtico Eccleſiæ eſt maximus paries cum media magna chalcidica in hemycicli formam facta, quam tribunam vocant: in qua hodie canonici, & clerici Lateranenſes ſacra myſteria celebrant. Hæc pauimentum totum è muſiuo, & vermiculato opere elegantiſſimo habet: nobiliſſimiſqúe marmoreis, & è puriſſimo cu pro cancellis à reliqua cruce ſeparatur. Hemycielum vſque ad Tophorum, vbi in Tholi ſpeciem incuruatur, totum è nobiliſſimo marmore ſectis tabulis incruſtatum eſt: in cuius medio eſt ſedes Pontificis Romani emblematibus, & quibuſdam figuris ornata, ac ſex marmoreis gradibus impoſita: tota chalcidicæ teſtudo muſiuo exornata eſt, atque ante omnia inter quatuor feneſtrarum interſtitia nouem Apoſtoli depicti ſunt.

In abſidæ verò curuitate ſub ſancti Saluatoris facie, crux eſt elegantiſſima: à cuius vtroq; latere extant Beatæ Virginis Mariæ, ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri, Pauli, Andreæ, & Ioannis Euangeliſtæ, ſanctorum Franciſci, & Antonij de Padua, & Nicolai Papæ Quarti, cuius expenſis (vt ſupra diximus) opus factum eſt, ſimulachra.

In media baſilica Lateranenſi poſticum verſus extat ara maxima, ſiue altare maius baſilicæ marmoreũ, ſuper cuius etiam marmoreo ciborio, quatuor columnis cum capitulis corinthijs ſuſtentato, in tabernaculo ferreis cancellis optime circumcluſo & munito, extant ſacratiſſima Apoſtolorum Petri & Pauli capita, ab Vrbano papa Quinto, quando Romam ex Auenione venit, ex baſilica S. Laurentij, quæ ſancta ſanctorum dicitur, excepta, & in eo loco thecis argenteis cluſa collocata. Iacuerant autem in S. Laurentij baſilica (vt infra aperiam) multis annis. Vrbanus porrò videns ea digno in loco (vt par erat) haud ſeruari, fabricato ad id aptè ferculo illo marmoreo, gemmiſq; margaritis, & inextimabilis pretij vnionibus refertas, argenteas thecas ſeu capita fabricari fecit, in quibus pretioſiſſima Apoſtolorum crania collocauit, & diligentiſſima ſub cuſtodia (quemadmodum hactenus fit) obſeruari mandauit. Apoſtolorum vero capi-

taſta-

ta ſtatis quibuſdam diebus, ſcilicet quinquies in anno, vt feria v. in cœna Domini, in feſto Paſchatis, Natalis Domini, Dedicationis baſilicæ, coronationis Pontificis, ad S. Ioannem, populis confluentibus deuotiſſimè oſtenduntur. Sub ipſo vero altari, quod vacuum eſt (tabulis enim quinque marmoreis ad modum arcæ eſt fabricatum) multæ ſanctorum reliquiæ eſſe commemorantur, quarum ſeries in appenſa altari magna tabula notata eſt. Sub eodem altari eſt Oratorium ſubterraneum ſatis amplum, in quod ſcalis deſcenſus eſt per feneſtram æreo cancello cluſam. In eo Oratorio eſt vetuſtiſſimum altare muro iunctum, ſupra quod ſunt tres magnæ ampullæ oleo ſancto chriſmatis & cathecumenorum, id eſt, baptiſmatis plenæ. A leua, ſiniſtraq; huius altaris extant quatuor miri operis columnæ corinthio ære, & opere fabricatæ: ad quas alluſiſſe videtur Virgilius, cùm ait III. Georgicorum.

Atq; hic vndantem bello, magnumq; fluentem
Nilum, ac nauali ſurgentes ære columnas

Quæ ibidem ad loci ornatum collocatæ ſunt. Eas autem fuiſſe ferunt in antiquo Nemeſis templo, quod totum ex ęre factum fuerat: cuius etiam templi fores, & cancelli, hi eſſe memorantur, qui nunc Laterani ſupra canonicorum chorum, & ad Panthei fores pro portis in vſu ſunt. Hæ columnæ an-

tiquitus non erant, vbi nunc ſunt, ſed paulò ante abſidam, & ad altare ſanctiſſimę Euchariſtiæ verſus. Super quarum capitulis æneis, erant imagines aliquot ſanctorum aureæ, & argenteæ miri operis. Item, aliquot lucernæ, quæ in quibuſdam præcipuis feſtis pro oleo balſamum ardebant, quod Orientales Romanæ Eccleſiæ pendere ſolebant, quam penſionem poſtea pecunia accepta, eiſdem Formoſus Papa remiſit. Cęterùm quis eas poſtea vbi nunc ſunt, tranſtulerit, vel qui imagines, & lampades ipſas abſtulerit, incompertum eſt. Antiquis temporibus ante aram maximam, vbi nunc eſt ſepulchrum Papæ Martini Quinti, fuerunt duo marmorea pulpita quæ ambones vocant, quemadmodum ſunt in baſilica S. Mariæ Maioris, S. Pauli, SS. Coſmæ & Damiani, & in omnibus vrbis baſilicis: ſuper quæ epiſtola & Euangelium legebantur à Diaconis, & Subdiaconis: & Romanus Pontifex, vel præſente Pontifice aliquis ex Epiſcopis, vel presbyteris Cardinalibus prædicare ſolebant. Inter hæc duo pulpita chorus canonicorum erat cùm altari, in quo canonici ipſi Miſſam maiorem celebrabant. Nam ſuper aram maiorem ſolus Romanus Pontifex, vel eius iuſſu Epiſcopi Cardinales ſacra faciebant. Quæ omnia Martinus V. in noua pauimenti baſilicæ Lateranenſis reſtitutione ſubſtulit. In cho-

ro autem illo vètere canonicorum, erat altare in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ dedicatum: in quo corpus eius ſine capite conditum fuiſſe fertur ab Honorio Papa II. qui ipſum altare olim dedicauerat. Hoc altare nunc paulò longius ab antiquo loco tranſlatum eſt, ſcilicet prope paraſtatam nouiſſimam dextro baſilicæ latere: diciturqúe etiam hodie ſanctæ Mariæ Magdalenæ. Eſt totum marmoreum, & emblematibus ornatum, atque ſupra ſex gradus marmoreos locatum: habetqúe ſupra elegantiſſimum tabernaculum, totum teſſelatum ex aureis lapellis, cum inſignibus nobilium familiarum columnæ, Hanniboldenſis, & Caſarorum, Cancellis ferreis cluſum, & quatuor è granito marmore columnis ſuſtentatum. Circa tabernaculum marmoreum eſt mœnianum ligneum, alijs aliquot ſine ordine diſpoſitis columnis impoſitum: ex quo ſanctorum reliquiæ, quæ in eo tabernaculo religioſiſſimè ſeruantur, populo Romano oſtenduntur, quorum ſeriem infra exponam. Retro ſub abſida fuit altare ſanctorum Chryſanti, & Dariæ, in quo ipſorum corpora recondita olim fuerant: ſed quum tempore quo Eccleſia corruit ſub Steno ſexto, pollutum, & dirutum fuiſſet, tranſlata ſunt in Oratorio ſanctæ Mariæ, & ſancti Pancratij martyris, quod erat in dextro latere baſilicæ,

 vbi

vbi nunc ſacrarium eſt, ibiq́; ſub altare ipſius Oratorij recondita ſunt. Dextera baſilicæ parte haud longe ab eo loco vbi nunc eſt ſepulchrum Sylueſtri Papæ Secundi, verſus Oratorium ſancti Thomæ, fuit altare ſanctorum quadraginta martyrum. A ſiniſtro porrò baſilicæ latere, euntibus ab ara maxima ad Eccleſiæ portas, haud procul à porta quam ſanctam vocant, fuit altare ſancti Antonini martyris. Ab eo latere venientibus à porta ſancta verſus aram maximam, haud longe à porta qua itur ad aulam concilij, fuit altare Beatæ Mariæ de Ripoſſo: neque plura in baſilica Lateranenſi antiquitus altaria fuiſſe inueni. Quæ omnia noſtro tempore partim vetuſtate & temporum iniuria, partim inſigni illo Clementis Quinti incendio, mota, tranſlata, vel omnino (præter vnum altare maius) deſtructa ſunt. Poſt incendium Laterani, multa à diuerſis Chriſti fidelibus altaria miſſis celebrandis fabricata ſunt, quæ modo extant,

Hodie in baſilica Lateranenſi præter antiqua duo altaria, maximum ſcilicet, & ſanctæ Mariæ Magdalenę, quorum certam memoriam habemus, multa de nouo erecta ſunt, quarum deſcriptionem facturus à baſilicæ fronte, atque adeo ab ipſo Oratorio, cum altari ſancti Thomæ, quod dextro latere meridiem verſus ſitum eſt, incipiam. Hoc Oratorium vetuſtiſſimum eſt, à Ioanne

ne Papa Duodecimo conſtitutum, quando & baſilicam Lateranenſem renouauit, qui anno noningéteſimo quinquageſimoquinto pontifex factus fuit: & antiquis temporibus ſecretarium Lateranenſe vocabatur, in quo Romanus pontifex ſacra ad aram maximã facturꝰ, cũ Epiſcopis, & Cardinalibus Sextam cantare, eiusq́ temporis ſpatio ipſe cum omnibus ordinibus ſacratas veſtes indui ſolebat, qua finita è ſecretario prodiens, per porticum ingrediebatur baſilicam, & ad altare maximum proceſsionaliter ordinatim proficiſcebatur. Habet paruum hemyciclum, & epiſtylium ſuper quatuor columnas, in cuius tophoro eſt ſequens inſcriptio.

HIC. LOCVS. OLIM. SORDENTIS. TVMVLI. SQVALORE. CONGESTVS. SVMPTV. ET. TE. DOMINO. TANTA. RVDERVM. MOLE. SVBLATA. QVANTVM. CVLMINIS. NVNC. VIDETVR. AD. OFFERENDVM. CHRISTO. DEO. MVNVS. OR.

. . . . . . Id nunc latericio pariete intermedio ſeparatum, in duo diuiſum eſt oratoria. In quorum altero, quod meridiem reſpicit, in abſida eſt altare S. Ioannis Baptiſtæ, in quo multæ reliquiæ ſanctorum conſeruantur: in his arca fœderis, menſa Chriſti, virga Aaron, & Moſis, & multa ſanctorum oſſa. Hoc oratorium non ingrediuntur

 mu-

mulieres, niſi die ſancti Thomæ Apoſtoli. In altero verò Oratorio Canonici cum Vicario Archipresbyteri ſingulis ſabbatis congregari ſolent ad baſilicæ negotia tractanda, expediendaq́. quæ congregatio capitulum ab eis more monaſtico vocatur. Ante id ſecretarium in fronte Eccleſiæ intus inter duo oſtiola, eſt altare S. Ioannis Baptiſtæ, Metelli Vari Porcij opera factum. Proxime eſt ſepulchrum Sylueſtri Papę Secundi, ex porticu Laterarenſi eo tranſlatum. Deinde cõtinua & perpetua decem Altarium ſeries, ſub decem cibarijs à columnellis ſuſtentatis. Altaria ipſa recens facta, vel ſaltim poſt baſilicæ incendium, columnellæ è marmore viridi Tyberiaco ſunt cum elegantiſſimis capitulis. A ſiniſtro verò baſilicæ latere, exeuntibus Orientem verſus inter portas ſanctam, & aliam minorem, in ſecunda porticu ſiue naui, eſt altare Melinorum, Deo, Beatæ Virgini, SS. Apoſtolis Petro & Paulo, Ioanni Baptiſtæ, & Euangeliſtæ dicatum. Pone illud à tergo craſſiſſimæ paraſtatæ, inter illud & portam ſanctam, eſt vetuſtiſſimum porphyreticum ſepulchrũ, elegantibus ſignis ornatum, in quo ſepultus eſt Anaſtaſius Papa IIII. poſtea eſt porta, quam ſanctam vocant. Inde Occidentem verſus, venientibus in ipſo minoris porticus ſiue nauis pariete, eſt altare antiquiſſimum ſine nomine, in vetuſta cluſa porta locatum:

atum:aliud dehinc extat altare etiam ſine
omine, poſt duo inſignia vermiculata ſe-
ulchra duorum Diaconorum Cardinali-
m Berardi Garacioli Neapolitani, & Ri-
ardi Annibaldenſis de Molaria Romani,
t ex litterarum veſtigijs & inſignibus in-
elligitur. Poſt altare S. Ioannis Euange-
ſtæ proximè eſt porta, qua per gradus itur
d Concilij aulam: deinde altare SS. Lucæ,
tephani, & Marci. In hoc porticu per di-
poſitas ſtationes manent Presbyteri pœ-
itentium, qui pœnitentiarij vocantur. In
ine huius nauis prope paraſtatam nouiſ-
imam, occidentem verſus, eſt altare S. Leo-
ıardi, Vrſinorum. Initio verò porticus,
quæ eſt retro abſidam in hemycicli ſpeci-
em, ſunt quatuor altaria: vnum nouum
ine nomine, pone abſidam in fornice, alte-
rum Præſepis: à ſiniſtro etiam latere, in par-
uo ſacello, ante quod in terra ſepultus eſt
Laurentius Valla, Latinis Græciſqúe litte-
ris eruditiſſimus, eiuſdemqúe baſilicæ ca-
nonicus: tertium altare emblematibus or-
natum ſine nomine: quartum verſus ſacra-
rij noui oſtium, in quo quæ ex ſacramen-
torum reliquijs ſuperfluunt, conduntur. In
tranſuerſa baſilicæ naui prope altare Præſe-
pis, parte leua, eſt altare ſanctæ Catherinæ
cum ciborio è ſtuccis ornato.

Prope eſt altare Guilhelmi Pererij, Rotæ
auditoris, Deo, ſanctis Ioãni Baptiſtę, & Euã

geli-

geliſtæ, & Iacobo Minori dicatum, anno Domini MCCCCXCII. Sequitur altare Angelotti Faſci Cardinalis tituli ſancti Marci, ab Eugenio Quarto facti, & eiuſdem Eccleſiæ Archipresbyteri. In eadem parte prope abſidam maiorem, eſt ara cum tabernaculo ferreis clauſtris circundata, in qua ſeruatur ſanctiſſima Euchariſtia. Ab eodem latere in paraſtata minoris nauis, eſt altare ſanctæ crucis, quod idem Guilhelmus de Perrerijs auditor Rotæ, Deo Saluatori noſtro dicauit, Anno Domini MCCCCXCII. At prope portam, quæ ad meridiem reſpicit, eſt alia ara cum operculo, quæ pietatis dicitur.

A dextro Chalcidicæ latere initio porticus pone ipſam, extructum eſt ſacrarium nouum ab Eugenio Papa Quarto, duabus cameris diſtinctum, in quo olim fuit Oratorium ſanctæ Marię Virginis, & ſancti Pancratij, de quo ſæpè in antiquis annalibus mentio eſt. In quo antiquitus fuit altare ornatum, conſecratum ab Innocentio Papa Secundo, in quo collocata fuerunt corpora SS. Chryſanti, & Dariæ, & reliquiæ ſanctorũ Pancratij, Iacobi Apoſtoli, Matthęi, & Thaddæi Apoſtolorum, Timothęi diſcipuli ſancti Pauli, Stephani protomartyris, Innocentum, de Linteamine & ſepulchro Domini. Item, reliquiæ ſanctorum Blaſij, Nicodemi, Vitalis, Geruaſij, Protaſij, Nazarij, Celſi, Felicitatis, & quadraginta martyrum. Hodie

in

hoc oratorio, quod ſacrarium eſt, quæ ad myſteriorum vſum pertinent ſacræ veſtes, vaſa, & alia eiuſmodi ſeruantur: & ſacerdotes rem diuinam facturi, ſacratas veſtes induunt: per hyemem quoque ſacra myſteria ibidem à canonicis, & reliquis ſacrificulis celebrantur. Sunt in ea præter aliquot argenteas cruces capſulæ duæ, vna chriſtallina, in qua eſt caput ſancti Zachariæ prophetæ, cum alijs reliquijs: & in alia Eborea, cum tabernaculo ecupro aureato reliquiarum pleno.

Paulò vltra oſtium ſacrarij, eſt ſacellum ſanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, cum ara, quod eſt familiæ columnæ ius patronatus, in quo ſacra facientibus, multæ indulgentiæ ſunt conceſſæ, cum liberatione animarum è purgatorio. Item aliud altare, quod mortuorum vocant. Deinde ſub veteri choro, parieti baſilicæ adiunctũ eſt altare Beatæ Virginis annunciatæ, quod inſigni pictura collegium beneficiatorum Lateranenſium erexit, dedicauitque anno ſalutis MDLV. Haud longe ab eo eſt marmoreum ſepulchrum Antonij Martines de clauibus Cardinalis Portugalenſis, cum eiuſdem Cardinalis altari. Prope columnas æreas in paraſtata exarata eſt in marmorea tabula Xyſti Quarti bulla, quo anno ſalutis MCCCCLXXV. pontificatus verò Quarto, Kal. Iulij inſtituit opus fabricæ Lateranenſis, o-

pera-

periarioſq; creauit duos canonicos, totidem ciues Romanos, & Epiſcopum vnum curiam Romanam incolentem, protectorem verò Cardinalium omnium vetuſtiſſimũ, multaſq́ue, & magnas largitur indulgentias omnibus qui baſilieæ Lateranenſis reparationi eleemoſynas piè tribuerent. Arcæ maximę appenſa eſt tabula lignea recens cõſcripta, in qua deſcripta ſunt nomina ſanctarum reliquiarum, quę tam Laterani, quã in baſilica S. Laurentij, quæ ſancta ſanctorum dicitur, reconditæ ſunt, Cuius tabulæ ſumma hæc eſt, quo ad arę maximę reliquias attinet. Sub altare maiori, eſt altare ligneum à S. Syluestro ſtabilitum, & ferreis cratibus ſeptum, ſub quo infinitæ ſunt ſine certo nomine ſanctorum reliquiæ. In ciborio verò marmoreo ſupra altare præter capita Apoſtolorum, ſunt hæ reliquiæ. Caput S. Pancratij martyris, humerus ſancti Laurentij, Dens S. Petri, Tunica S. Ioannis Euangeliſtæ, cineres S. Ioannis Baptiſtæ, prima camiſcia ſaluatoris, linteum quo ipſe Dominus pedes diſcipulorum abſterſit, purpureũ veſtimentum Chriſti cum guttis ſanguinis, velum femoralium Chriſti crucifixi, ſudarium quo Ioſeph ab Arimathia Chriſti caput inuoluit, præputium IEſu Chriſti, tabula ex cineribus plurimorum ſanctorum martyrum concinnata, cum ligno ſanctæ crucis, capſa lignea gẽmis, & margaritis ornata, in

qua

qua multæ reliquiæ inuentæ ſunt. Quæ omnia die Paſchę oſtenduntur populo. Sub altari quoq; multæ aliæ ſunt reliquię, ibi à Nicolao Papa IIII. collocatæ.

De baſilicæ Lateranenſis redditibus, & ornamentis.

COnſtantinus pius Imperat. omnibus quas conſtruxit Eccleſijs annuos tot ſolidorum aureorum prouentus, ex qbus earundē ſartatecta reſtituerentur, ornamenta & luminaria continuarentur, & in ijs deſeruientes ſacerdotes, & clerici alerentur, contulit. Solidus aūt aureus ad æſtimationem noſtratis monetę redactus, aureum vnum coronatum cum dimidio valet. Redditus aūt præter ornamēnta erāt ex poſſeſſionibus, maſſis, fundis, domibus, hortis, olivetis, & vineis. Maſſa erat, quā nunc Caſale diceremus, multitudo agrorū, & ruſticorū illos incolentiū, in vnū coacta. Fundus erat, quā nos poſſeſſionē dicimus, paucorū agrorum redditus. Cōtulit aūt baſilicæ Lateranenſi Imperator Conſtātinus infra ſcriptas maſſas, pręter ornaméta, q̄ etiā enumerabo, quas Damaſus in vita S. Sylueſtri enumerat:

Maſſa Gargillana in territorio Sueſſeno, præſtans ſolidos 409.

Maſſa Bauronica in territorio Sueſſano, præſtans ſolidos 360.

Maſſa

Maſſa Auriana in terrritorio Laurentino, præſtans ſolidos 500.
Maſſa Vrbana in territorio Antiatino, præſtans ſolidos 240.
Maſſa Caſti in territorio Catinenſi, præſtás ſolidos 1000.
Maſſa Trapeas in territorio Catinenſi, præſtans ſolidos 1650,
Summa 4159. noſtræ pecuniæ æſtimatione ſunt aurei 6239.

Seqnentes etiam pontifices multos alios redditus huic baſilicæ donaſſe exiſtimandum, quæ mihi modo incognita ſunt. Nunc baſilica Lateranenſis ex caſalibus, fundis, oliuetis habet in redditibus aureos coronatos plus minus 6000. qui in miniſtros Eccleſiæ, de quibus infra dicam, diuiduntur. Multos preterea tum Pontifices, tum Imperatores maiores redditus, & prouentus, item vectigalia eidem Eccleſiæ obtuliſſe eſt exiſtimandum, quorum memoria temporum iniuria deperdita eſt. Memini tamen me in quibuſdam eiuſdem Eccleſiæ archiuijs legiſſe, Alexandrum Papam Secũdum, donaſſe canonicis Lateranenſibus dimidiũ omnium oblatienum aræ maximæ Lateranenſis, quæ ibidem toto anno fierent: item, domus omnes baſilicæ adiacentes: multa præterea prædia, & agros per varias vrbes, & Italiæ loca exiſtentia, quæ omnia in eius priuilegio enumerantur. Innocentium quo

que

que Papam Secundum, donaſſe inueni baſilicæ Lateranenſi centum Lucenſis monetæ libras, quibus agri emerentur ad canonicorum in ea reſidentium ſuſtentationem, ex quibus D. Bernardus tum prior Lateranenſis, poſtea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, aliquot poſſeſſiones emit non longe ab vrbe iuxta formas prope Eccleſiam ſanctæ Helenæ: ſed & Lucius II. donauit canonicis Lateranenſibus ſuo diplomate Eccleſiam ſancti Ioannis ante portam Latinam, cum omnibus quę ad eam pertinebant redditibus, & vectigalibus: item hoſpitale iuxta portam Lateranenſem ſitum. Sed & Anaſtaſius Quartus, priuilegio ſuo quod adhuc extat, donauit huic baſilicæ Eccleſiam ſancti Georgij in Mareio, cum palatio in quo ſita eſt, & omnibus quæ ad eam pertinebant redditibus: item agrum cum molendino extra portam Lateranenſem, in capite vbi fuit aliquando lacus quidam, quum ante omnią ſuą bona confirmaſſet. Innocentius Tertius, donauit baſilicæ Lateranenſi caſtrum Fraſcati, & Eccleſiam ſancti Andreæ in Silice, cum redditibus ſuis. Quæ omnia cum antiquis indulgentijs confirmauit, & renouauit Alexander Papa Quartus, Anno Domini MCCLX. Honorius verò Papa Tertius, ſuo priuilegio confirmauit omnia baſilicæ Lateranenſis bona.

De ornamentis aureis, & argenteis, item

veſtibus, picturis, imaginibus, quæ in baſilica Lateranenſi fuerunt, breuiſſimè agamus. In ſancti Sylueſtri vita ita Damaſus Papa ſcribit. Hæc ſunt ornamenta & dona, quæ Conſtantinus Imperator obtulit baſilicæ Lateranenſi ab ſe recens conſtructæ. Faſtigium argenteum librarum MXXV. habens in fronte Saluatorem ſedentem in ſella quinque pedum, librarum CXX. alias CXXX. Item à tergo reſpiciés in abſida, Saluator ſedens in throno pedum V. ex argento puriſſimo, penſans libras CXL. Item quatuor angeli argentei pedum V. cum gemmis alabandinis, ſinguli penſantes libras CV. Item duodecim Apoſtoli cum coronis ex argento puriſſimo, ſinguli V. pedum, & librarum XC. Camera baſilicæ ex auro in longitudinem, & latitudinem, librarum D. Altaria ſeptem argentea, penſantia libras CC. Coronæ quatuor aureæ, cum viginti delphinis, penſantes ſingulæ libras XV. Pharum aureum cum quinquaginta delphinis, & catena librarum XXV. Pharum cantharum aureum ante altare, in quo ardebat oleum Nardinum piſticum cum delphinis XXC. penſans libras XXX. Pharum cantharum argenteum cum delphinis viginti, vbi ardebat oleum Nardinum piſticum, librarum XL. Phari canthari argentei in medio baſilicæ XLV. penſantes ſinguli libras XXX. in quibus oleum ſupraſcriptum ardebat. Phari

ri canthari argentei in dextra baſilicæ XL. ſinguli librarum XX. phari canthari argentei in leua baſilicæ XXV. ſinguli librarum XX. Canthari ceroſtroti argentei L. in medio baſilicæ, ſinguli librarum XX. Metretæ III. argenteæ, ſingulæ librarum CCC. portantes medimnos decem. Candelabra ſeptem ex auricalco, ſingula pedum X. cum argentea celatura ſigillis prophetarum incluſis, pēſantia libras CCC. ſingula ad luminariorum vſum. Amæ aureæ duæ, penſantes ſingulæ libras quinquaginta, & portantes medimnas tres. Amæ argenteæ XX. ſingulæ librarum X. & portantes medimnos ſingulos. Scyphi ex auro puriſſimo ſeptem, ſinguli librarum X. Scyphus vnus ex metallo, ornatus corallo, & gemmis praſinis & hyacinthinis circum circa auro ex omni parte intercluſus, librarum XX. & vnciarum III. Scyphi argentei XX. ſinguli librarum XV. Calices minores argentei miniſteriales quingenti, ſinguli librarum duarum. Patenæ aureæ ſeptem, ſingulæ librarum XXX. Patenæ argenteæ ſexdecim, ſingulæ librarum XXX. Thymiamateria duo aurea, penſantia ſingula libras XXX. Donum aromaticum ante altaria ſingulis annis, librarum CL. Hidriæ duæ argenteæ, penſantes ſingulæ libras C. quas poſtea Leo papa primus cum alijs quatuor eiuſdem ponderis, quæ erant in baſilicis Apoſtolo-

rum Petri, & Pauli, conflauit, & omnia vaſa ſacrata per ſingulos titulos refecit, quæ à Barbaris Vandalis in direptione vrbis ablata fuerant.

Conſtantini pij Imperatoris exemplum in de nouo ædificandis & exornandis vrbis baſilicis, etiam cæteri Imperatores orthodoxi ſecuti ſunt. Nam ſub Xyſto Papa Tertio, eius rogatu Placidius Valentinianus Auguſtus in baſilica Lateranenſi refecit faſtigium argenteum, quod à Barbaris ſublatum fuerat bello Gothico, librarũ MDCX, Carolus Rex Francorum Imperator à Leone Papa Tertio conſecratus, obtulit Lateranenſi baſilicæ crucem auream cum gemmis hyacinthinis, quam idem Pontifex in Litanijs ſe præcedere conſtituit, iuxta S. Imperatoris rogatum: eam verò furto ablatã, & ornamentis ſuis ſpoliatam, Leo Quartus inuentam auro & margaritis, gemmiſq; hyacinthinis, & praſinis exornauit, & pulcherrimam refecit, iuſſitq; vt more maiorum ante Pontificem in Litanijs præferretur. Hilarius quoque, Simplicius, Hormiſda, Gregorij ſecundus, & tertius, Hadrianus, Leones tertius, & quartus, Nicolaus, Sergius tertius, Innocentius ſecundus, Lucius ſecundus, Anaſtaſius quartus, Alexander tertius, Honorius tertius, Innocentius tertius, Martinus quintus, Eugenius quartus, Nicolaus quintus, Xyſtus quartus, Alexan-

xander ſextus, Paulus tertius, & alij Romani pontifices, multa aurea, argentea, ſericea dona huic baſilicæ obtulerunt. In ſacrario nouo ſunt adhuc duæ argenteæ cruces magnę, & deauratę, in qbus eſt de ligno crucis, quæ in Litanijs ſancti Marci portantur, ſunt varijs ſignis, & picturis, noui, veteriſq; teſtamenti ornatæ.

Extant præterea eó loci tres paruæ cruces argenteæ deauratæ, gemmis, & margaritis refertæ, & alia crux aurea, quam Rex Luſitaniæ Iulio ſecundo donauit, ille verò baſilicæ Lateranenſi eam conceſſit.

Principio ſtatim poſt baſilicam conditã, diuina in ea ſpeciatim miniſteria celebrabant Romanus Pontifex, & presbyteri vrbis Romæ tam Cardinales, quâm non Cardinales, ſeptem Diaconi, totidem Subdiaconi, & reliquus Romanus clerus, & populus fidelis. Nam pſalmodiam, hymnos, & preces, populus cum minoribus maioribuſq; clericis canebant: Epiſcopus concionabatur: presbyteri omnes ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſacramenta per vices tractabant. Aucta fidelis populi multitudine cum preſbyteri per ſingulos vrbis Romæ titulos diſtributi eſſent, hiq́ue in ſuis parœcijs occupati non ita aſſiſtere Romano potifici poſſent, clericorum quoque diſciplina laberetur: Gelaſius Papa circa annum domini CD. clericos, qui ab arctiore vitæ inſtituto ca-

nonici,id eſt,regulares vocati ſunt (hi Apoſtolorum,& primitiuæ Eccleſiæ more ſecundum beati Auguſtini regulam in communi viuebant) Laterani collocauit, qui presbyterorum veterum tã Cardinalium, quâm non Cardinalium loco, baſilicæ Lateranenſi ſpeciatim addicti,quotidie deſeruirent in adminiſtrandis præcipue ſacramentis,& publicis precibus fiendis. In quibuſdam vérò ſolennitatibus Romanus pontifex antiquum cum presbyteris Cardinalibus, & alijs baſilicarum vrbis prælatis, morem retinebat. Nam vetere inſtituto in baſilica Lateranenſi rem diuinam facere ſolebat. Canonicorum porrò priſcis illis temporibus præcipuum (vt dixi) munus erat, ſacramenta plebi Dei adminiſtrare: nam in pſallendo minus erant occupati, quum eo tempore pſalmodiam adhuc fideles populi frequentarent. Cęterùm cum religionis zelus paulatim decreuiſſet, Lateranenſiſqſie baſilica non ita in pſalmodia frequentaretur à populis, & canonici maioribus occupati rebus, cantiones frequentare nequirent, optima occaſione accidit, vt haud longe poſt Gelaſij tempora à Monachis id munus Laterani ſuſciperetur. Qui paulò ante à beato Benedicto Abbate in Occidente inſtituti, optime viuendi normam acceperant. Is enim in monte Caſino Monachorum cœnobio ædificato, eis pri-

primus omnium occidentalium iura viuendi dedit, qui quum nullis ſacris tum initiarentur, orationibus tantum, precibus, hymnis, pſalmis, & cantui in Eccleſia vacare ſolebant. Huic ſanctiſſimo patri Benedicto, quum anno Domini DXLII. obijſſet, in monaſterij Caſinenſis regimine vir ſanctus Abbas Conſtantinus ſuffectus eſt, eiuſdem patris diſcipulus. Huic tertius Simplicius, cui quartus Vitalis, & eidem Bonicius Abbates ſucceſſere. Sub Abbate Bonicio Longobardi, qui Iuſtino minore Auguſto, anno Domini DLXVIII. Italiam inuaſerant, Caſſinenſe Monaſterium nocturno tempore fratribus quieſcentibus cœperunt, & omnibus direptis effecerunt, vt ne vnus quidem illic homo permaneret. Fugientes itaq; ex eodem cœnobio Fratres Romam ſub Ioanne papa tertio, profecti ſunt: ex cuius pontificis conceſſione iuxta Lateranenſem baſilicam Monaſterium conſtruxerunt ſub titulo ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Euãgeliſtæ, & Pancratij, vbi per centum & triginta annos, quo ad Caſinenſe Monaſterium dirutum permãſit, perſtiterunt, & laicorum loco in Lateranenſi baſilica ſacras horas, & pſalmos canere cœperunt, canonicis tantũ ſacra in ea facientibus, & ſacramenta omnia adminiſtrantibus. Huius monaſterij meminit ſanctus Gregorius libro Dialogorum 2. cap. 1. Cæterùm quum pro-

ceſſu temporis Monachorum Lateranenſium laberetur inſtitutum, Gregorius Papa tertius, Monaſterium ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Euangeliſtæ, & Pancratij prope Lateranenſem baſilicā antiquitus conſtructum renouauit, quod tum Monachis ſuperiorum pontificum in curia pene deſtitutum erat; cui prædia multa & dona contulit, & quæ inuenerat ipſius Monaſterij alienata reddito pretio eidem loco reſtituit, vbi & congregationum Monachorum reformauit, & Abbatem conſtituit, ad perſoluenda quotidie ſacra officia laudis diuinæ in baſilica ſancti Saluatoris, quę dicitur Cōſtantiniana iuxta Lateranum, diurnis nocturniſq́ue temporibus, quemadmodum tunc in baſilica ſancti Petri Apoſtoli fieri mos erat. Quo verò tempore Monachi eo loco ceſſerint, & canonici multiplicati, Monachorum munia in pſallendo & horas canonicas cantando ſupplere cœperint, incompertum. Certum eſt aliquot ſæculis poſt canonicorum tantum Lateranenſium, qui monachorum more in communi viuebant, prioremq́ue, qui Abbatis loco omnibus præeſſet, habebant, mentionem fieri, & Monachis omninò præteritis. Canonicorum ordinem dilabentem Laterani iuxta beati Auguſtini regulā poſt multa tempora primus omnium Romanorum pontificum reformauit Alexander Papa ſecundus, qui ante

te pontificatum clericus regularis fuerat, & in ampliſſimam dignitatem, vitæque ſplendorem reſtituit: ita vt Monachis Caſinenſibus magno tunc ſanctitatis & pietatis nomine florentibus, & celeberrimis, nulla in re cederent. Quare ea deinceps congregatio ingentem maximorum virorum prouentum tulit. Ex eo enim monaſterio prodierunt Honorius ſecundus, Innocentius ſecundus, Lucius ſecundus, Alexander tertius, & Honorius tertius, Romani pontifices: multi præterea & magni nominis Cardinales. Poſt Alexandrum ſecundum, Paſchalis ſecundus papa, canonicum ordinem diuturni ſchiſmatis tempore paulatim laxatum, pontifex factus ſalubri ſtudio & prouidentia in Lateranenſi cœnobio correxit. Floruit verò maximè hæc congregatio Laterani ſub Alexandro tertio, & aliquot eius ſucceſſoribus, cum magna hominum præſtantiſſimorum copia, tum eximiæ ſanctitatis opinione. Hi monaſterium Lateranenſe incolebant, quod inter porticum ſancti Venantij, & baſilicæ Lateranenſis abſidam inchoatum, vbi adhuc in area eadem veteris clauſtri nouem columnæ ſuperſunt, ab ea area ad eandem baſilicæ partem protenditur, quæ occidentem ſpectat. Vbi adhuc in ipſa area vetus clauſtrum totum vermiculatum cum hoc elogio in Zophoro è muſiuo iã exoleſcente conſpicitur:

Canonicam formam ſumentes diſcite normam,
Quam promiſiſtis hoc clauſtrũ quando petiſtis,
Diſcite ſic eſſe tria vobis adeſſe neceſſe
Nil proprium, morem caſtum portando pudorem,
Clauſtri ſtructura ſit vobis docta figura,
Vt ſic clareſcant animæ, moresq́ nitescant,
Et ſtabiliantur animo qui canonicantur,
Vt coniunguntur lapidesq́ ſic polliuntur
Gaudeat . . . nouellis . . . . Chriſtoq́ fidelis
Qui ſua dimiſit operi vel mundi . . . .

Extant in eodem loco omnia monaſterij veſtigia, vt ſupernè clauſtrum aliud nouum cum cellis hinc inde extructum: dormitoria duo, cellulæ, refectorium, clauſtrum aliud interius dirutum, vbi ſunt aliquot canonicorum domicilia. In medio verò clauſtri vermiculati eſt hortus cum ciſterna, & aliquot pulcherrimis pilis, & omnia poſtremo extant, quæ in rectè inſtitutis cœnobijs ædificari ſolent.

Permanſerunt autem clerici hi, qui canonici vocati ſunt in communi monachorum more viuentes, in monaſterio Lateranenſi baſilicæ adiecto annos plus minus DCCC. vſque ad Bonifacij VIII. pontificatum, qui circa annum Domini MCCC. eos canonicos clauſtrales monaſterio Lateranenſi exire ordinauit, & ſæculares clericos qui canonici ſæculares vocãtur collocauit, ſingulisq́ ex

ex redditibus monaſterij ſingulas præbendas ſpeciatim conſtituit.

Permanſerunt autem pacifice Laterani canonici ſæculares vſque ad Eugenij IIII. papæ tempora. Hic pontifex quum fuiſſet ante pontificatum canonicus cœleſtini habitus, monachiſmum, & vitam regularem maximè coluit, clericos ſæculares odio habens. Is, exactis & in ordinem omninò redactis canonicis ſæcularibus, in Baſilica Lateranenſi canonicum regularis vitæ ordinem, quemadmodum antea fuerat renouauit, in eamq́ eoſdem canonicos regulares, Friſonariæ reformatos reduxit, clauſtrumq́ cum dormitorio in quo habitarẽt, à fundamentis pene reſtituit. Qui in ea permanſerunt vſq; ad obitum Nicolai Papæ v. Quo mortuo ciuili tumultu à Romanis loco pulſi ſunt, canoniciq́ ſæculares iterũ introducti, qui ibidem à Calliſto III. Nicolai V. ſucceſſore confirmati, baſilicam Lateranenſem vſque ad Paulum II. tenuerunt: Qui Eugenij IIII. auunculi ſui veſtigia ſecutus, vbi primum coronatus eſt, meliori (vt ei viſum eſt) ratione canonicos regulares Lateranum reducendos cenſuit. Nam veteres quidem ſæculares canonicos eo loco exigere noluit, ſed ijs regulares adiunxit in baſilicæ Lateranenſis obſequijs: tamen vt ſeorſum vnumquodque collegium diuina celebraret myſteria. Et vt rem pacificè tranſige-

ret,

ret, canonicorumqúe ſæcularium nomen eo in loco quietè aboleret, veteres ſæculares canonicos vt præbendas ſuas ſibi reſignarét hortabatur, maioribus redditibus in compenſationem datis, ſi Romæ beneficium aliud vacaret, & tam in horum quos in ſuam voluntatem ſponte trahere poterat, quàm decedentium locum nullum amplius ſufficiebat. Eorum verò, qui renunciare ſuos canonicatus nolebant, nullam vel reſignationem alijs factam, vel renunciationem acceptabat. Atque ita illorum collegium paulatim abrogare diſpoſuerat, vt tãdem beneficia illa omnia in vnum corpus redacta, canonicis regularibus ſufficerent ſine vllo ſuo diſpendio, cum eum illos tum paſcere ob inopiam oporteret: & demum omnibus ſublatis canonicis, regulares poſtea liberè monaſterij redditibus potirentur, nemini iniuria facta. Quo tempore inter vtrumque collegium multæ rixæ & ſeditiones fuere in præcipuis ſolennitatibus, & præſertim corporis CHriſti, dum vniuſcuiuſque collegij caput ſacrorum myſteriorum honorem ſibi vendicaret. Quamobrem Paulum multum ab ſe ciuium Romanorum animos abalienaſſe ferunt, quod dicerent illa beneficia à maioribus ſuis inſtituta, pulſis ciuibus legitimis poſſeſſoribus, aduenis dari. Neque enim his quæ diximus contentus Paulus, ſeorſum etiam quoſdam cano-

canonicos ſæculares allocutus eſt, minis etiam adhibitis, quibus eos abdicare ſe illis canonicatibus impellebat. Nonnulli ex his eius minas contemnentes, tempus vindicãdi quæ amiſerant expectabant, quod poſtea eo mortuo accidit. Nam in hoc ipſo conatu repentina morte quum deceſſiſſet, denuo regulares ipſi tumultu ciuili à furente populo, qui eas ſibi præbendas eripi graue ferebat, exacti ſunt. Quare ſub Xyſto quarto, loco ſanctæ Mariæ de pace in vrbe obtento, canonicam Lateranenſem Romanis reliquere, vetereſqúe ſæculares canonici eo loco reſtituti, qui baſilicam ad noſtra vſque tempora cuſtodiunt, & cantoribus aliquot mercedeqúe conductis clericis diuina myſteria in ea celebrant. Clericorum porrò ordo, qui nunc baſilicam Lateranenſem tenet, triplex eſt. Nam aliqui eorum canonici, aliqui beneficiati, aliqui clerici dicuntur. Maioris dignitatis ſunt canonici numero decem & octo, cum Archipresbytero: habentqúe ſinguli in redditibus CCL. plus minus aureos: hi Miſſas cantant diebus feſtis. Minoris dignitatis ſunt beneficiati numero viginti duo, quorum annui redditus per ſingulos ſunt circiter centum aurei: hi aſſiſtunt choro. Nouiſſimi omnium clerici numero octo, dimidioqúe minus quàm beneficiati habent: cantores octo, manſionarij duo, ſacriſta cum ſocio, & aliquot camilli.

Go-

Horum munus eſt ſacra facere, aſſiſtere altari, & per vices ſuas omnibus horis canonicis, & Miſſę maiori à conducticijs clericis, & cantoribus cantatæ, intereſſe. His omnibus præeſt prioris loco Archipresbyter vnus, qui Archipresbyter Lateranenſis baſilicæ dicitur, eſtq́ vt plurimum Cardinalis.

Romanus pontifex in baſilica Lateranenſi in omnibus ſtationibus Eccleſiæ (quid verò ſtatio ſit, infra aperiam) ſuper aram maximam ſacra facere ſolebat. In reliquis verò omnibus ferialibus diebus, & minoribus quibuſdam ſolennitatibus, nemo ſuper eam Miſſam celebrare ſolebat, præter vnum ex ſeptem Epiſcopis Cardinalibus S.R.E. qui erant ipſius baſilicę hebdomadarij, hoc eſt, qui ſinguli per hebdomadas ſuas Romani pontificis vice ſacra in hac ipſa baſilica quotidie facerent. Quum verò Romanus pōtifex in ara ipſa maxima celebrabat, ei omnes, qui in curia Romana aliqua dignitate, honore, ſiue magiſtratu fungerentur, aderant, & aſſiſtebant. Inter quos primi erant ſeptem Epiſcopi Cardinales, videlicet, Oſtienſis, Portuenſis, S. Rufinæ, Præneſtinus, Tuſculanus, Sabinus, & Albanus. Hi Romani pontificis collaterales, & primæ ſedis Epiſcopi appellabantur, quorum primo conſecratus prior Epiſcoporum Cardinalium dicebatur, qui nunc Decanus collegij vocatur.

Poſt

Poſt hos aderant quinque patriarchalium Eccleſiarum prælati, videlicet, prior canonicorum baſilicæ Lateranenſis, Archipresbyteri baſilicarum ſancti Petri, & ſanctę Marię Maioris, Abbates monaſteriorum ſancti Pauli, & S. Laurentij extra muros. Aſſiſtebant etiam XXIIX. presbyteri Cardinales S. R. E. qui totidem Eccleſijs (quæ tituli vocantur) intra vrbem Romam cum Epiſcopali auctoritate præſidebant, quorum primus Archipresbyter vocabatur. Aderant præterea Archidiaconus. S. R. E. cum XVII. diaconis Cardinalibus, ex quibus XII. dicebantur Diaconi Cardinales Regionarij, quod ſoliti eſſent legere Euangelia in ſtationibus Eccleſiarum vrbis, quum Papa ad eas proficiſceretur: alij quinque cum Archidiacono, Diaconi Cardinales Palatini, ſiue altaris Lateranenſis miniſtri dicebantur, quòd in palatio & baſilica Lateranenſi, & Vaticana, quum Papa celebraret, per vices ſuas Euangelia legerent. Hi etiam XVII. Diaconi totidem Eccleſijs intra vrbem, quæ Diaconiæ vocabantur, præerant. Intererant etiam Diaconus, & Subdiaconus Græci, ex monaſterio Cryptæ Ferratæ vocati, qui epiſtolā & Euangeliū Græca lingua, Papa celebrante, legerent. Poſt hos Abbates vrbis omnes numero XX. Præſentes etiam erant vnus & viginti Subdiaconi S. R. E. quorum primus Prior dicebatur:

batur: ex his ſeptem Baſilicarij ſiue Palatini, ſeptem Regionarij, & totidem ſcholæ cantorum vocabantur. Palatini epiſtolas in palatio, & baſilicis Lateranenſi, & Vaticana per vices ſuas ante Papam, quum ipſe Miſſam cantaret, & ad eiuſdem menſam ſacras lectiones legebant. Regionarij idem munus per baſilicas alias vrbis Romæ in earundem feſtis diebus, & ſtationibus obibant. Schola verò cantorum caput & magiſtrum habebat primicerium. Hi ſeptem Subdiaconi cum ſuis primicerio & alijs miniſtris, dum Papa celebrabat, vbicunque is eſſet, Miſſam, & horas canonicas canere ſolebát. Poſt hos aderât Acoluthi, & Capellani pontificis, Lectores, Exorciſtæ, & Oſtiarij, quorum vnuſquiſque adimplere ſibi demandata munera ſatagebant. Atque hi ex clero Papæ aderant. Ex laicis verò antiquitus aderant præfectus vrbis pallio ſerico indutus, & caliga vna rubea, & alia aurea calciatus: cum ſeptem palatinis officijs, ſiue iudicibus, qui & ordinarij vocabantur, & cum clero, & populo Romano pontificis electioni intererant. Horum nomina ſunt, Primicerius, & Secundicerius; hi duo dextera, leuaqúe Papam in omnibus proceſſionibus & publicis conuentibus comitabantur, Epiſcopis Cardinalibus eis loco proximiore cedentibus, & in maioribus ſolennitatibus in matutinis octauam ſuper omnes Epiſco-

pos

pos lectionem legebant. Horum loca nunc tenēt duo Priores Cardinales Diaconi, qui Aſſiſtentes vocantur. Erant autem tanquam primi Papæ, & Apoſtolicæ ſedis conſiliarij. Tertius erat Arcarius: is præerat tributis. Quartus Sacellarius, qui ſtipendia militibus ſoluebat, & Romæ ſabbato Scrutiniorum Romanis quidem eleemoſynam, Clericis verò Presbyteria largiebatur. Quintus erat Protoſcriniarius, qui duodecim pręerat Scriniarijs. Sextus Primicerius defenſorum, qui aduocatis præerat. Septimus Adminiculator, id eſt, aduocatus pauperum, qui pro ijs omnibus intercedat. Hi mortiferam nullam dabant ſententiam, quanquam iudices eſſent: & quum eſſent clerici, ad nullos tamen ordines promoueri ſolebant. Aderant prætereà Senatores, Iudices, Aduocati, Scriniarij, Præfecti nauales, cum ſuis prioribus, & omnibus poſtremo nobilibus, & proceribus Romanorum aſtantibus.

Abbates autem Vrbis (de quibus ſupra dixi) erant hi numero XX.

1. Abbas ſancti Cæſarij in Palatio.
2. Abbas ſancti Gregorij in Cliuio Scauri, vbi eſt brachium S. Andreæ Apoſtoli.
3. Abbas ſanctæ Mariæ in Auentino, vbi eſt de corpore ſancti Sabini Epiſcopi.

4. Abbas S.Alexij, vbi eſt corpus eius, & S.Bonifacij martyris.
5. Abbas S.Priſcæ, & Aquilæ, vbi eſt pars corporum eorum.
6. Abbas S.Sabæ Cellæ nouæ, vbi eſt corpus S.Tiburtij martyris.
7. Abbas S. Pancratij martyris in trans Tyberim.
8. Abbas S. Silueſtri inter duos hortos, quod Monaſterium ædificauit Papa Dionyſius, cuius corpus ibidem requieſcit.
9. Abbas S.Mariæ in Capitolio, vbi eſt ara Dei filij.
10. Abbas S. Blaſij iuxta palatium Traiani Imperatoris.
11. Abbas S.Agathæ Virginis, quæ eſt in capite Suburæ.
12. Abbas S.Laurentij in Paniſperna, vbi fuit poſitus in Craticula.
13. Abbas S.Thomæ iuxta formam Claudiam.
14. Abbas S.Blaſij inter Tiberim, & pontẽ ſancti Petri.
15. Abbas S.Trinitatis Scotorum.
16. Abbas S. Valentini iuxta pontem Miluium.
17. Abbas S.Mariæ in Caſtro aureo.
18. Abbas S.Mariæ in Pallara, vbi fuit ſagittatus S.Sebaſtianus.
19. Abbas S.Mariæ in Monaſterio iuxta S. Pe-

Petrum ad Vincula.
20. Abbas SS. Coſmæ, & Damiani in vico aureo trans Tiberim.

Romanus Pontifex ſupra aram maximam Baſilicæ Lateranenſis ſolennia ſacra, omnibus quos ſupra enumeraui præſentibus, celebrare ſolebat in omnibus ſtationibus baſilicæ Lateranenſis, videlcet, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum, qua palmas diſtribuebat, Feria V. in cœna Domini qua oleos ſanctos conficiebat, Sabbato ſancto quo baptizabat, Prima, & ſecunda die Paſchæ ad veſperas tantum, Sabbato in Albis, quo agnus Dei è cera benedicebat, Sabbato Pentecoſtes, In ſolennitatibus S. Ioannis Baptiſtæ, Exaltationis ſanctæ Crucis, In Dedicatione eiuſdem Baſilicæ, & in Anniuerſario die electionis ſuæ. Hæ autem erant Lateranenſes Stationes recentiorum temporum. Vetuſtiſſimæ enim, præter has quas enumeraui, Laterani ſtationes fuere, Feria v. poſt paſcha, Dominica in albis, & aliquot alijs diebus, quos infra enumerabo, vt ex D. Gregorij papæ homilijs ijſdem diebus Laterani habitis intelligitur.

Veteres Romani Pontifices, Leo, Hilarius, Gelaſius, Symmachus, Gregorius, & alij, antiquitùs Epiſcoporum Italicorum concilia, pro ſtatus Eccleſiaſtici conſti-

tutione, apud S. Petrum celebrare ſolebãt. Poſtea cũ minus cõmodè, tute, & ſalubriter propter diſtantiam loci, ſolitudinẽ Vaticani, & eccleſiæ frigidiorem locum, ſacerdotum conuentus in baſilica Vaticana haberentur, eaſdem Synodos Laterani congregarunt. Primus (quod ſciam) Symmachus papa Laterani duo concilia celebrauit, pro ſchiſmate ſuo tempore orto, tollendo, cum alibi niſi cum periculo ea celebrare non poſſet. Sanctus Martinus papa & martyr contra Monothelitas hæreticos Stephanus III. contra ſchiſmaticos, & pro noui pontificis Romani comitijs, Hadrianus pro Caroli Magni Francorum regis priuilegijs, Nicolaus papa in cauſa Ioannis Archiepiſcopi Rauennatis, Sergius III. & Ioannes X. pro reformatione eccleſiæ, Leo VIII. pro Othonis Imperatoris priuilegio, Leo IX. aliquot, Nicolaus II. duo, Alexander II. ſex, Gregorius VII. decem, Victor III. vnum, Paſchalis II. quatuor, pro ſacroſanctæ Eccleſiæ poteſtate, & iure tuendis, concilia maxima Laterani celebrarunt. Ex omni verò orbe Latino Generalia Concilia Calliſtus II. Innocentius II. Alexander III. Innocentius III. & nouiſſimè Leo X. in eadem baſilica conuocarunt.

Quanquam ab antiquis vſque temporibus porticus, ſecretarium, & baſilica S. Petri Apoſtoli in Vaticano, locus præſcriptus ſum-

ſummorum Pontificum ſepulturæ fuerit (quod conueniens eſſe videbatur, ſucceſſores, & Vicarios eò loci iacere debere, vbi & prædeceſſor, magiſter, & huius ſanctæ Eccleſiæ fundator Apoſtolorum princeps Petrus dormiebat, ob quam rationem etiam in aram maximam eiuſdem templi ſemper eos conſecrari, & in argurari mos fuit) tamen varijs caſibus & euentibus factum eſt, vt multi eorum etiam Laterani proprium elegerint ſepulturæ locum, quorum hæc nomina ſunt, vt ex archiuis eiuſdē baſilicæ accepi. Leo V. Sergij III. & IIII. Silueſter II. Ioannes X. XI. XII. & XIIX. Agapitus II. Bonifacius VII. Alexandri II. & III. Paſchalis II. Calliſtus II. Honorius II. Innocentij II. & V. Cœleſtini II. & III. Lucius II. Anaſtaſius IIII. Clemens III. & ante capita Apoſtolorum in media Eccleſia æreo & marmoreo ſepulchro Martinus V.

In hac baſilica multas ſanctorum reliquias fuiſſe memorant, de quibus in his verſibus mentio eſt.

Et ſacra ſanctarum ſi nomina reliquiarum
Lector ſcire velis, docet hoc te charta fidelis
De Chriſti cuna, quæ virga refloruit vna,
Cœlo manna datum, paranymphi manna beatum,
Menſa gerens cœnam, turbamq́ cibans duodenam,
Vnda ſacer ſanguis, quē fudit myſticus anguis,

His biſſinorum coniungitur arca virorum.
Arca tenens pactum ſeptem candelabra tactũ,
Quæ ſilicem fregit, & aquas hunc dare coegit,
Vas auri puri præſtans incendia thuri,
Gauſape quod ſacris aderat tingendo lauacris,
Clauditur, & ciſta chlamys inconſutilis iſta,
Veſtis purpura textrice manu phariſæa
Hac latet in capſa de cœli culmine lapſa,
Cumq́ tot his donis ſunt panes propoſitionis
Et panis frangenti, quæ turbæ manſit edenti,
Sanguine Baptiſtæ pariter locis omnibus iſte
Eſt ſacer & magni ſudaria continet agni,
Præconisq́ dati pars corporis incinerrati,
Deq́ pilis tunica pretioſæ carnis amica,
A longis annis paranymphi ſacra Ioannis,
Veſtis ſeruata iuuenum triaq́ reparata,
Membra dedit vitæ, iacet inſuper abdita rite
Eiuſdem plena ſignorum ſacra catena.

Ioannes Diaconus capite IIII. libri, quem de baſilica Lateranenſi cõſcripſit ante cccc. annos, has enumerat reliquias, ſic ſcribens: Multæ & pene infinitæ reliquiæ ſunt tam in hac Eccleſiâ Lateranenſi, quàm in Patriarchio. In baſilica autem inter multas hæ ſunt præcipuè. Arca fœderis, Candelabrum, Mẽſa, Propoſitio panum, quæ dicitur Sancta, Aureum thuribulum, Vrna habens manna, na, Virga Aaron, quæ fronduerat, Tabulæ teſtamenti, Virga Moyſis, qua percuſſo ſilice aquæ manarunt. In altari verò principali poſito inter quatuor columnas porphy-

reticas ſub eleganti ciborio ſunt reliquiæ, de cunabulis domini, de quinqꝫ panibus ordeacis & duobus piſcibus, de menſa Domini, linteus quo exterſit pedes diſcipulorum, tunica inconſutilis, quam fecit ſancta Maria virgo filio ſuo Ieſu Chriſto, purpureum veſtimentum eiuſdem Domini noſtri. Ampullæ duæ de ſanguine & aqua lateris eius. Sudarium quod fuit ſuper caput eius. De loco Aſcenſionis Chriſti. De ſanguine S. Ioannis Baptiſtæ, de cinere combuſti corporis eiuſdem, cilicium eius de pilis camelorum. De manna ſepulturæ S. Ioannis Euangeliſtæ ampulla plena : tunica, & veſtis eiuſdem, quæ ſuperpoſita tribus iuuenibus mortuis, viui ſurrexerũt. Hæc ille. Quarum reliquiarum ſeriem & nomina, centeſimo & trigeſimo ferè anno poſt, renouata ſunt à Nicolao papa IIII. Extat enim & alia tabula eaſdem reliquias referẽs in abſide hemycielo è muſiuo Nicolai papæ IIII. tempore facta, in qua reliquiarum omnium Lateranenſis baſilicæ, quarum tunc notitia habebatur, memoria extat ſic:

Hæc Baſilica ſancti Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſanctiqꝫ Ioannis Baptiſtæ, atque B. Ioannis Euangeliſtæ, his ſacroſanctis ac venerabilibus inſignita cõſiſtit reliquijs.

In primis, hoc altari ligneo, quod ſancti Dei Pontifices & Martyres ab Apoſtolorum tempore habuerunt. In quo per cryptas &

 di-

diuerſa latibula miſſas celebrabant perſequutionis rabie imminente. Super quo deſuper eſt Menſa Domini, in qua Chriſtus cœnauit cum diſcipulis ſuis in die cœnæ. Infra autem ſub altari ſunt de ſanguine & aqua de latere Chriſti ampullæ duæ. Item eſt ibi de cuna Chriſti. Tunica inconſutilis, & purpureum veſtimentum eius. Item ſunt ibi ſudarium quod fuit ſuper caput eius, & linteum vnde pedes diſcipulorum exterſit. De quinque panibus ordeaceis. Item de cinerib⁹ & ſanguine S. Ioannis Baptiſtæ, & Cilicium eius, de pilis camelorum. De manna ſepulchri S. Ioannis Euangeliſtæ, & tunica eius: etiam pars catenæ cum qua ligatus venit ab Epheſo: forcipes cum quibus tonſus fuit de mandato Cæſaris Domitiani. Sub iſto nempe altari eſt arca fœderis: in qua ſunt duæ tabulæ Teſtamenti: Virga Moyſi, & Virga Aaron Eſt ibi Candelabrum aureũ, & Thurribulum aureum thymiamate plenum: Et vrna aurea plena Manna. Item de panibus propoſitionum.

Hanc autem arcam cum candelabro, & his quæ dicta ſunt, cum quatuor præſentib⁹ columnis Titus & Veſpaſianus à Iudæis aſportari fecerunt de Hieroſolyma ad Vrbẽ, ſicut vſque hodie cernuntur in triumphali fornice, qui eſt ſupra eccleſiam S. Mariæ nouæ, ob victoriam & perpetuum........ reliqua non poſſunt legi.

In marmoreo ferculo ſuper altare S. Mariæ Magdalenæ, ſunt hæ reliquiæ. Caput S. Zachariæ patris S. Ioannis Baptiſtæ in theca argẽtea. Caput S. Pancratij martyris in alia theca ex argẽto. Catena qua B. Ioãnes euangeliſta vinctus de Epheſo ad Vrbẽ adductus eſt. Item vas quo idem ſanctus venenum bibit, & illi nihil nocuit. Item eiuſdem ſancti linea tunica. Theca argentea plena oſſibus S. Mariæ Magdalenæ. Spatula B. Laurentij martyris. Interula linea D. N. Ieſu Chriſti quam ei B. virgo fecit, in capſula argentea. Linteus quo Chriſtus Apoſtolorum pedes terſit. Pars harundinis qua percuſſus fuit in capite in domo Pilati. Forfices quibus B. Io. Euangeliſta attonſus fuit. Velum quo velatum fuit corpus S. Saluatoris in cruce pendentis. Sudarium quo caput Chriſti in ſepulchro poſiti inuolutum fuit. Cineres S. Ioannis Baptiſtæ. Veſtes & Capilli S. Dei genitricis Mariæ. Dens S. Petri Apoſtoli. Præputium circuncisionis Chriſti, quod tempore direptionis Vrbis amiſſum fuit, nuper verò inuentum. Vas in quo eſt ſanguis & aqua, quæ fluxerunt de latere D. N. Ieſu Chriſti. Fruſtulum crucis Chriſti. Plurimæ aliæ ſine nomine ſanctorum reliquiæ.

In ſacrario eſt capſa lignea cum multis ſanctorum ſine nomine oſſibus, puluere, & cineribus, quæ olim in Eccleſia S. Ioannis ante portam Latinam inuenta fuit, & eo trãſ-

lata. Item caput S. Gordiani, & cranium S. Epimachi, & aliæ multæ ſanctorū reliquiæ.

Precandi formula.

Ad altare ſacramenti. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecūdum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cū iudicaris. Ecce.n. in iniqui tatibus conceptus ſum, & in peccatis conce pit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Aſperges me Dñe hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua: & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtiti-

ſtitiam tuam. Domine labia mea aperies,& os meum annunciabit laudem tuam. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies. Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, & ędificentur muri Hieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Oratio.

Deus, qui vt ſalutarem abſtinentiam exemplo & lingua doceres, carnis noſtræ mortalitate aſſumpta quadraginta dierum ieiunium mirabiliter obſeruaſti, & non in ſolo pane hominem viuere, ſed in omni verbo quod ex ore diuino prodit, tentanti ſathanæ reſpondiſti: cōcede nobis, lautiſſimos cibos, exquiſitasq́ epulas, & omnia gulæ irritamenta reſpuere, & talem & taliter victum quærere, quali & qualiter ad ſalutem, & vitam, vti ſalutaria præcepta tua præcipiunt, vitæ autem præſentiam & corporalis ſalutis munera ad veræ æternæq́ vitæ finem facias ordinare. Qui cum Patre & Spiritu.

Ad altare maius baſilicæ Lateranenſis. Antiphona. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & ſumma Deitas, ſancta & vna Vnitas, Pater,

Fili,& Spiritusſancte,miſerere nobis. ℣.Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu.℟.Laudemus & ſuperexaltemus eũ in ſæcula.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus,qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem,quæſimus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum noſtrum.

De baptiſterio Lateranenſi, & eius ornamentis.

Quemadmodum magna antiquis patribus, in deligendis clericis, qui ſacramenta plebi Dei,& in his baptiſmum omnium primum exhiberent,diligentia fuit(hinc enim muneris presbyterorum Cardinalium origo manauit) ſic quoq; non minus accurati fuere, & præſertim poſt pacem Chriſtianis datam, in extruendis opportunis locis, in quibus à miniſtris Eccleſiæ exhiberentur. Nam ſicut ad orationem & verbum Dei audiendum luculentiſſimas baſilicas, ad Euchariſtiam exhibendam aras & ſacella,ſic etiam ad baptiſmum tradendum, fontes & baptiſteria ampliſſima exædificarunt.In cuius ſacramenti exhibitione adeo diligentes fuere veteres patres, vt ad id munus non niſi presbyteros vitæ ſanctitate, doctrina,

&

& religione claros crearint : & in multis ciuitatibus vnum tantum per ſingulas vrbes fontem, ſiue locum, quem Baptiſterium vocauere, propè maiorem ciuitatis baſilicã, quæ Mater Eccleſiæ vulgò dicitur, quod ſcilicet in vnius Epiſcopi cuſtodia eſſet, condiderunt. Quod ad noſtra vſque tempora aliquibus in vrbibus obſeruatum, quemadmodum Piſis, Florentiæ, Bononiæ, Parmæ, Vrbeueteri, & alibi licet intueri. In quo vno tingebantur pueri iuuenes, ſenes, diuites, & pauperes. Quare Gregorius Nazianzenus in Oratione de Baptiſmo obiurgat opulentos, quos pudebat cum pauperibus ſimul tingi. Is mos cum alibi, tum Romæ in vſu olim erat. Vbi propè maiores Vrbis baſilicas. Lateranenſem ſcilicet, & Vaticanam, Sancti pontifices, Silueſter, ex Conſtantini Auguſti conceſſione, elegantiſſima lauacra ſiue baptiſteria, multis donis, & maximis ornamentis referta, & Liberius conſtruxere. In eis porrò veteres pontifices baptizare ſolitos intelligitur ex Bonifacij Quinti cõſtitutione apud Bibliothecariũ, q edixit, ne acolythus baptizaret cum diacono, ſed ſubdiaconum ſequeretur. Item idem in vita papæ Hadriani ſcribit, Regem Francorum Carolum Magnum cum clero, & populo Romano ſabbato ſancto ſtetiſſe in baſilica Lateranenſi, quouſque in baptiſterio ſa-

cra-

cramentum baptiſmatis Pontifex conficeret. Illud porrò præter ingentes redditus, quos paulò pòſt ènumerabo, ex Conſtantini Auguſti liberalitate, his quoq; donis ornauit B.PP.Silueſter.

Id antiquitus totum erat ex lapide porphyretico: & omni, ex parte extra, & intra deſuper, ac quantum aqua contineret, ex argento puriſſimo trium millium & octo librarum coopertum. In fontis medio ſupra columnam porphyreticam erat phiala aurea librarum quinquaginta, in cuius annexo lychnuco, ex ſtipa ammianti ardebant balſam. C C. libræ. In labro fontis erat agnus aureus librarum XXX. aquam eò corriuatam fundens: ad cuius dexteram collocata erat imago Sancti Saluatoris argentea pedum quintum, librarum C L X X. ad leuam verò erat ſignum argenteum ſancti Ioannis Baptiſtæ totidem pedum librarum C. In cuius manu erat index: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ibidem etiam erant cerui argentei ſeptem, fundentes aquam, ſinguli librarum X X C. Item thymiaterium aureum librarum X. gemmis praſinis & hyacinthinis XLII. vndique ornatum. Aliquot deinde miri operis porphyriticas columnas cum elegantiſſimis epyſtilijs Imperator Conſtantinus aduexit, vt fontem ipſum perficeret, verum impeditus ornaméta illa extra opus

inta-

intacta dimiſit. Quæ vſq; ad Xyſti III. pontificatum ita permanſerunt. Quarum octo ſupra poſitis marmoreis epyſtilijs in eam quã nunc cernimus octangulam formam, ſupra ipſum fontem idem Pontifex erexit, verſibusq; in zophoro inciſis exornauit, vt in eius vita Bibliothecarius auctor eſt. Quos iam exoleſcentes, & carie, temporeq; ferè conſumptos, quanta potui diligẽtia admotis ſcalis deſcripſi: ſunt autem hi,

Gens ſacranda polis hic ſemine naſcitur almo,
Quam fœcundatis ſpiritus edit aquis.
Virgineo fœtu genitrix Eccleſia natos,
Quos ſpirante Deo concipit, amne parit.
Cœlorum regnum ſperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita ſemel genitos.
Fons hic eſt vitæ & qui totum diluit orbem,
Sumens de Chriſti vulnere principium.
Mergere peccator ſacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum.
Inſons eſſe volens iſto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine ſeu proprio.
Nulla renaſcentum eſt diſtantia, quos facit vnum,
Vnus fons, vnus ſpiritus, vna fides.
Nec numerus quenquam ſcelerum, nec forma ſuorum
Terreat, hoc natus flumine ſanctus erit.

Hadrianus papa Romanus ingentis animi vir, patriæ ornamenta vetuſtate exoleſcen-

ſcentia renouare aggreſſus, multos aquæ-ductus refecit, in quibus formā aquæ Claudiæ, quæ per mediam aream Lateranenſem decurrit, renouauit: ex qua aquam in baptiſterium Lateranenſe corriuauit, vt idem Bibliothecarius auctor eſt. Hadrianus quoque IIII. muro in eodem baptiſterio à tribus lateribus erecto, nauim eiuſdem Eccleſiæ coæquauit. Cuius tectum ruinam minans, Leo X. & poſt Paulus III. nouiſſimè *Pius* IIII. additis ſupra plumbeis laminis, & infrà ligneis laquearibus exornatum, firmarunt. Baptiſterij tholum *Paulus* III. reſtituit, & tignis ſuppoſitis reparauit. Noſtra porrò ætate omnibus ornamentis, non ſolum aureis, & argenteis, ſed etiam lapideis, quæ inſignia fuere, vt veſtigia ſubindicant, expoliatum, in eam quam nunc cernimus formam, redactum eſt.

Baptiſterium totum eſt forma octangula. In medio habet fontem in terra excauatum ad quinque vlnas, totum tabulis lapideis coopertum, pręter pauimentum, quod eſt è calce: tribus gradibus in id deſcenſus eſt, in cuius parte extat pilus lapidis Lydij, quem paragonem vocant, paruus, baptiſmatis vſui, cum S. Silueſtri papæ ſigno. Extremus Baptiſterij paries intus totus erat porphyreticis, & marmoreis tabulis albis quadratis & oblōgis ad regulam poſitis,

&

& elegantiſſimè inciſis, varijſqúe è teſſellato opere emblematibus interiectis coopertus. Cuius tectum, quod ſupremum columellarum peryſtilium, contingit, paulò tamen tholo interius, refecit Leo X. Id enim eius inſignia teſtantur.

In baptiſterio Lateranēſi antiquitus Romanus pontifex ſabbatis Paſchæ, & Pentecoſtes baptiſmum celebrare ſolebant, & quotquot adferebantur pueros baptizare, vt ex antiquis libris ritualibus liquet.

Proximo verò Paſchæ die, & feria II. quibus diebus Papa ter veſperas decãtabat, primis Laterani celebratis, ſecundas in hoc baptiſterio, tertias verò in oratorio S. Crucis concinnebat.

De redditibus baptiſterij Lateranenſis.

Multos & magnos redditus baptiſterio Lateranenſi, quemadmodum & baſilicæ S. Saluatoris, donauit ex ſuggeſtione S. Syluestri Papæ, Pius Imperator Conſtantinus. Quorum ſeriem, & numerum ex Damaſo & Bibliothecario hunc fuiſſe didici.

Maſſa feſti ex territorio Præneſtino, præſtãs ſolidos CCC.

Maſſa Gaba ex agro Gabino, præſtans ſolidos CCII.

Maſſa pictas ex agro ſupra ſcripto, præſtans ſolidos CCV.

Maſſa Statiliana ex territorio Sorano, alias corano, ſol. CCC.

Maſſa Taurana in Sicilia ex agro Partheniceñſi, ſolidos D.

Maſſa Laninas ex agro Carſeolano, prꝗſtans ſolidos CC.

Maſſa Statiana ex agro Sabino, præſtans ſolidos CCCL.

Maſſa Murina ex agro Albano, via Appia ſolidorum CCC.

Maſſa Virginis ex agro Sorano, alias corano, ſolidorum CC.

Maſſæ Transmarinæ in Africa.

Maſſa Vnicis ex agro Mucario, præſtans ſolidos DCCC.

Maſſa Capſis ex agro Capſitano, prꝗſtans ſolidos DC.

Maſſa Varia Sardana, præſtans ſolidos D.

Maſſa Camaras ex agro Cirtano, præſtans ſolidos CCCCV.

Maſſa Numas in agro Numidico, præſtans ſolidos DCL,

Maſſa Sulphurata ex agro Numidico, præſtans ſol. DCCXX.

Maſſa Baldarioliaria in agro Numidico, ſolidorum DCCCX.

Maſſæ in Græcia.

Maſſa Cephaleia in Græcia, præſtãs ſolid. D.

Maſſa Amazon in Megalula, præſtãs ſolidos CCXXII.

Fundus Baſſi, præſtans ſolidos CXX.

Fundus Catulli ex territorio Nomentano, præſtans ſolidos L.

Intra

Intra vrbem domus vel horti præſtantes ſimul ſolidos MMCCC.

Summa ſolidorum 10234. noſtratis pecuniæ 15351.

Quorũ reddituũ nihil prętereà ſupereſt.

Quod omnibus his ſpoliatum Honorius III. Papa cum ſuis quę ſupererant pertinentijs, & oblationibus, & ædiculis quæ circum ſunt, canonicis Lateranenſibus donauit.

Precandi formula in baptiſterio, ad Spiritum ſanctum.

Veni ſancte ſpiritus: reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in nobis ignem accende. ℣. Emitte ſpiritum tuum & creabimur. ℟. Et renouabis faciem terræ. Oratio. Deus, qui corda fidelium ſancti ſpiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

De porticu S. Venantij ante baptiſterium.

Ante baptiſterium Lateranenſe eſt porticus à proxima æde S. Venantij dicta, cuius veteri tecto ruinam paſſo, aliud è tignis, & imbricibus factum eſt, quod duabus ingentibus colũnis porphyreticis cum capitulis corinthijs, & duabus marmoreis, & craſſiſſimis paraſtatis cum epyſtilio omnium pulcherrimo ſuſtinetur. Ad terrã intercolumnia tabulis marmoreis ſepta ſunt, in cuius

porticus dextero primo intercolumnio ita ſcriptum eſt:In nomine domini,anno octauo Domini Henrici Imperatoris,indictione VII.menſis Iunij die V. &c. Pro columnarum baſibus ſunt duo capitula Corinthia elegantiſſima inuerſa. Porticus habet ex vtroq; latere duas abſidas in hemycicli formam, quarum teſtudines pretioſo muſiuo exornatæ ſunt. In dextera ſunt picti paſtores armenta paſcente:cum auibus,auiarijſqúe emblematibus ſcitè expreſſis. Hæc abſis habet altare marmoreum Deo & SS.Virginibus Rufinæ, & Secundæ dicatum, ſub quo earundem Virginum corpora recondita ſunt ab Anaſtaſio Papa IIII. anno Domini MCLIV. Qui quum ante pontificatum eſſet Epiſcopus Cardinalis Sabinus, & Papæ Vicarius,ea inuenerat,& pontifex factus id altare ipſe conſecrauit. Altera verò ædicula, cuius abſis floribus varij coloris è muſiuo exornata eſt, habet altare muro fixum in SS.Andreæ Apoſtoli,Luciæqúe virginis honorem ab eodem pontifice dicatum, & vtriuſque ſancti reliquijs reconditis conſecratum. Quæ dedicatio facta eſt VI. Kal. Octobris, die SS. Cypriani, & Iuſtinæ, quorum etiam corpora in pilo marmoreo recondita ſub eodem altari locauit, quæ ſub altari ſanctarum Virginum Rufinæ, & Secundæ inuenerat, quum vt ipſamet corpora reperiret, altius terram ea parte fodiſſet.

Vtræque abſides cum tota porticu antiquitus è tabulis varijs marmoreis, & emblematibus diuerſis coopertæ erant, quibus nunc pro maiori parte ſublatis ineptæ quædam picturæ parietes occupant. Solum fuit, & nunc pro maiori parte adhuc eſt marmoreis tabulis ſtratum. Frons baptiſterij tota fuit opere teſſellato ornata è lapillis viridibus, rubeis, aureis, albis, & ſimilibus, in quadratam, rotundam, oblongam, & ouatam formam periti artificis manu inciſis. Quis porrò hanc porticum condiderit adhuc mihi incompertum eſt, niſi fortè is fuerit Ioannes Papa Quartus Dalmata, qui proximam S. Venantij ædem ædificauit. Qua de cauſa etiam porticus ſancti Venantij dicta eſt. Ad hanc porticum antiquitus Romanus pontifex die Paſchæ, & feria II. quibus ter veſperas celebrabat Laterani in baptiſterio, & in oratorio ſanctæ Crucis, ijs omnibus decãtatis, cũ Epiſcopis Cardinalibus, cæteriſq́ue ordinibus accedere, ibiq́ue in præparatis faldiſtorijs & ſedibus cum Cardinalibus ſedere ſolebat, nam minorum ordinum clerici, & laici in terra ſuper tapeta quieſcebant, vbi à priore Diaconorum Cardinalium, & alijs Primicerijs Papæ, & omnibus circunſedentibus propinabatur optimum vinum, quod claretum vocant, quo temporis interuallo Primicerius cum ſchola cantorum ſurgebat, & hanc laudem

Papæ Græca lingua ita decantabat.

Paſcha ſacrum nobis hodie oſtenſum eſt, paſcha nouum, paſcha ſanctum, paſcha myſticum, paſcha maxime venerabile eſt redẽptoris. Paſcha immaculatum, paſcha magnum, paſcha fidelium, paſcha ianuas paradiſi nobis aperuit, paſcha omnes reformans mortales. Nouum papam Pium Chriſte cõſerua, &c. Quibus peractis pontifex ad palatium reuertebatur.

De duobus oratorijs in baptiſterio Lateranenſi, ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Euangeliſtæ.

Hilarius Papa, qui anno Domini CDLXI. poſt Leonis Magni obitum, Romanus pontifex creatus fuit (vt Anaſtaſius Bibliothecarius in eius vita auctor eſt) tria in baſilicæ Conſtantinianę baptiſterio oratoria condidit, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Ioannis Euangeliſtæ, & ſanctæ crucis, & omnia ex argento, & lapidibus pretioſis ornauit. Ex his duo quidem oratoria, de quibus nũc verba faciam, S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Ioannis Euangeliſtæ, in baptiſterio Lateranenſi quidem ſunt: oratorium verò ſanctæ crucis paulò extra id lauacrum conditum eſt. Duobus porrò in baptiſterio oratorijs ab eo cõſtructis Hilarius Papa in primis ianuas æreas argento cælatas fecit. Oratorium autem S. Ioannis Baptiſtæ à dextra baptiſterij adhuc ſupereſt. Cuius Confeſſionem (vt idem Bibliothe-

thecarius tradit) fecit Papa Hilarius argenteam librarum centum, cui etiam crucem auream donauit. Item ante confeſſionem ipſam poſuit coronam argenteam librarum XX. Dedit etiam pharum cantharum librarum XXV. Lucernam auream cum lychnuchis luminum X. librarum V. Ceruos argenteos tres fundentes aquam, ſingulos librarum XXX. Turrim argenteam cum delphinis librarum LX. Columbam auream librarum II. Sub cuius altari muro affixo infinitas pene ſanctorum reliquias ſuſpenſa tabella extare refert. Oratorium eſt paruum, quadratum, in cuius tribus angulis ſunt tres columnæ alabaſtrinæ, nã quarta alia eſt è marmore. Teſtudo tota è muſiuo pulcherrimo. Habet ſub ſe abſidulam ſtuccatam, & elegantem. Pauimentum vermiculatum eſt. Olim totum oratorium, vt ex veſtigijs liquet, tabulis marmoreis incruſtatum fuit. Cuius oſtij ante ex epyſtilio vetuſto & pulcherrimo fructu factæ ſunt. Intus autem ſupra portæ zophorum, eſt hic verſus: Domine dilexi decorem domus tuę. Extra verò in epyſtilio: Hilarus Epiſcopus ſanctæ plebi Dei. Ante portam eſt aliud peryſtilium marmoreum duabus columellis porphyreticis cũ capitulis è lapide ophite, quẽ ſerpentinũ vocãt, viridibus fulcitũ. Ianuæ æreæ ſunt, olim argento cælatæ cũ hac inſcriptione: In honorẽ beati Ioannis Bapti-

ſtæ, Hilarus Epiſcopus Dei famulus offert. Inter portam Oratorij & fontem Lateranenſem pauimentum vermiculatum eſt. In hoc ſacellum, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, mulieribus ingredi fas nõ eſt. In quo olim appenſa erat eiuſmodi tabula, reliquiarum nomina continens,

In nomine Domini amen. Anno MCCCXI. Menſe Ianuario, Dominica prima poſt octauam Natiuitatis Domini, conſecratum fuit altare capellę beati Ioannis Baptiſtæ in fontibus, & in eodem altari ſub lapide ſuperiori reconditæ ſunt ſanctiſſimæ reliquiæ, videlicet: S. Iacobi fratris Domini. S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ. S. Thaddæi Apoſtoli. S. Timothæi diſcipuli S. Pauli, ſanctorum Innocentum. S. Zachariæ patris S. Ioannis Baptiſtæ. S. Simeonis iuſti, SS. Stephani, Vincentij, & Chryſtophori martyrum. S. Auguſtini Doctoris. SS. Mariæ Magdalenæ, & Marthæ, ſanctorum Benedicti, & Antonij Abbatum. ſanctarum Luciæ, Margaritæ, Secundæ, & Rufinæ Virginum. ſanctorum Vitalis, Blaſij, XL. martyrum, Geruaſij, Protaſij, Stephani Papæ, Nazarij, Celſi, Antonij, Vincentij Epiſcopi, Prothi, & Hyacinthi martyrum. ſanctarum Victoriæ, & Euphemiæ virginum. ſanctorum Paterniani, Nerei, Achillei, Secundi, & Creſcentij martyrum. Eirenati, & ſociorum, Habundantij, Theodori, Alexandri Papæ, Theodori, Iuuen-

uentij, & Iuuenalis martyrum. De lapide loci vbi Chriſtus eſt crucifixus. Quæ omnia ſunt ſupra primam tabulam prædicti altaris, præter alias multas, quæ ſunt ſub lapide inferiori. Quarum nomina incerta ſunt, & incognita. Quapropter ſancti patres ſtatuerunt, ne fœminæ vnquam ipſum ſacellum ingrediantur. Hæc in antiquo libro Ioannis Diaconi Lateranenſis, ſcripta inueni.

Precandi formula.

Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Hic eſt præcurſor dilectus, & lucerna lucens ante dominum: Ipſe eſt enim Ioãnes, qui viam Domino præparauit in eremo: ſed & agnum Dei demonſtrauit, & illuminauit mentes hominum: ideoq́; pluſquàm propheta vocatur, de quo Dominus dixit: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Verſ. Fuit homo miſſus à DEO. Reſp. Cui nomen erat Ioannes. Oratio. Deus, qui filio tuo Domino noſtro IESV Chriſto B. Ioãnem Baptiſtam præcurſorem miſiſti, da nobis qui eius commemorationem colimus ſpiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ. Per Dominum noſtrum, &c.

De Oratorio S. Ioannis Euangeliſtæ.

Ex ædiculæ S. Ioannis Baptiſtæ regione à leua baptiſterij aliud eſt Oratorium ſancti

Ioannis Euangeliſtæ, omnibus ſuis ornamẽtis etiam marmoreis expoliatum. Quod Hilarius papa, qui illud condidit, inſigni argentea centum librarum confeſſione, & cruce aurea exornauit. Supra primam eiuſdem marmoream portam, qua ex lauacro iter eſt in veſtibulum ante ſacellum, ſunt eiuſmodi verba:

LIBERATORI. SVO. BEATO. IOANNI. EVANGELISTÆ. HILARVS. EPISCOPVS. FAMVLVS CHRISTI.

Poſt hanc portam eſt veſtibulum oblongum, & ſtrictum, ſine feneſtris, ex quo proditur in Eccleſiam S. Venantij. In veſtibuli medio è regione prioris portę eſt aliud oſtium orarorij S. Ioannis Euangeliſtæ, quod quadratũ eſt, & alio oratorio paulò maius: tectum habet fornicatum, & pulchro muſiuo pictum: ſuſtinetur quatuor marmoreis columellis octangulis cum capitulis Ionicis: tres habet abſidulas, oẽs ſtuccatas, cum totidem altaribus è marmoreis tabulis eaſdem occupãtibus: quæ intus inania columnarum porphyreticarum fragmentis innixæ ſunt: ſub quibus multas ſanctorum reliquias eſſe ferunt. Olim totum tabulis lapideis ornatum fuit, nunc ineptis picturis, & quibuſdam lignis affectum eſt: ſolum marmoreum habet.

Precandi formula.

Pater

Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Iſte
ſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœ-
a recubuit, beatus Apoſtolus, cui reuelata
int ſecreta cœleſtia. ℣. Valde honorandus
ſt beatus Ioannes. ℟. Cui Chriſtus in cruce
natrem Virginem Virgini commendauit.
)ratio. Eccleſiam tuam Domine benignus
luſtra, vt beati Ioannis dilecti Apoſtoli tui
: Euangeliſtę illuminata doctrinis ad dona
eruenia ſempiterna, & nos famulos tuos
b omni aduerſitate cuſtodi. Per Dominum
oſtrum.

De Oratorio S. Crucis.

Retro baptiſterium occidentem verſus,
ſt oratorium ſanctæ crucis, ab eodem Hi-
ario papa factum, ad quod porta lauacri re-
:entiori iter eſt. Id ante ſe areolam habet, o-
im parua porticu circundatam, cuius nunc
eptem colũnæ, & tres paraſtatæ ſuperſunt
nte baptiſterium & idem oratorium. Cu-
us portæ periſtylium duabus columnis a-
abaſtrinis ſticatis ſuſtinetur. In zophoro eſt
verſus hic.

INTROIBO. IN. DOMVM. TVAM.
ET. ADORABO. AD. TEMPLVM.
SANCTVM. TVVM. IN. TIMORE.
TVO.

Nunc magna ex parte omnibus ornamẽ-
tis ſuis, & marmoreis etiam ſpoliatum eſt,
& eorum loco repoſitæ ſunt inepti artificis
picturæ. Nam (vt Bibliothecarius refert)

par-

Papa Hilarius, qui oratorium hoc condidit, illud multis & maximis donis exornauit. Inter quæ in eius vita hæc ipſe commemorat.

In primis fecit in oratorio ſanctæ Crucis confeſſionem, in qua lignum Dominicæ crucis, & crucem auream librarum XX. cũ gemmis, collocauit. Confeſſionis ianuas argenteas librarum quinquaginta. Supra Cõfeſſionem arcum aureum librarum IIII. à columnis onychinis ſuſtentatum, cum agno aureo penſante libras duas. Coronam auream ante Confeſſionem. Pharum cum delphinis librarum V. Lampades aureas IIII. penſantes ſingulas libras duas. Nympheum, & triperticum ante oratorium ipſum, vbi erant columnæ, quæ dicuntur Hecatonpenſa. Cuius (vt dixi) adhuc ſuperſunt ſeptem columnæ. Lacus & conchas cythariacas, alias caſtriatas duas cum columnis porphyreticis perforatis, aquam fundentes. Et in medio lacum porphyreticum cum cõcha cythariaca in medio aquam fundente, circundata à dextris & ſiniſtris, in medio cãcellis æreis, & columnis cum faſtigijs, & epyſtilijs vndiq; ornatis ex muſiuo, & columnis Aquitanicis, & Tripolitis, & porphyreticis. Quorum ornamentorum ne veſtigium quidem aut vmbra amplius ſupereſt.

Precandi formula ad omnes ſanctos.

Pater

Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. S. Maria mater Dei & Virgo, Angeli, Archangeli, Throni & dominationes, virtutes, principatus & poteſtates: Cherubin atque Seraphin, Patriarchæ & Prophetæ, ſanctæ legis Doctores, Apoſtoli, Euangeliſtæ diſcipuli Domini, omnes Chriſti martyres, Euangelij Doctores, Sacerdotes, Leuitæ, ſancti Confeſſores, Anachoritæ, Eremitæ, Virgines Chriſti, & Viduæ, ſanctiqúe omnes intercedite pro nobis. Verſ. Orate pro nobis omnes ſancti Dei. Reſp. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium ſanctorum merita ſub vna tribuiſti celebritate venerari, quæſumus, vt deſideratum nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiaris. Per Dominũ noſtrum.

Adijcit Bibliothecarius in eiuſdem pontificis vita: Hilarium papam aliud Oratoriũ in honorem S. Stephani in baptiſterio Lateranenſi cõſtruxiſſe: cuius (quod ſciam) nulla veſtigia extant.

Ioannes canonicus regularis, Lateranenſis monaſterij, & Diaconus, qui ante annos CCCC. Alexandro papæ III. librum de baſilicæ Lateranenſis dignitate conſcripſit, refert prope hanc ſanctæ crucis ædiculam fuiſſe aliud oratorium S. Gregorij nomine fabricatum, in quo vſq; ad ſua tempora eiuſ-

dem

dem ſancti patris lectulus iuxta aram permanebat, cuius veſtigia aliquot cum picturis pone ſacellum ſanctę crucis in vinea Marij Fregepanis extare opinor.

De Ecclesia S. Venantij.

INter abſidam S. Andreę, quę eſt in porticu ante baptiſterium Lateranenſe, & oratorium S. Ioannis Euangeliſtæ, à latere fontis ſeptentrionem verſus eſt oratorium, immò potius Eccleſia quadrata S. Venantij, quam Ioannes Papa IIII. Dalmata, qui anno Domini DCXXXVIII. creatus fuit, cōdidit, & ſub eius altari corpora ſanctorum martyrum Venantij Domnionis, Anaſtaſij, Mauri, Aſterij, Septimij, Sulpiciani, Telij, Antiochiani, Pauliniani, & Caiani, ex Dalmatia & Iſtria Romam aducta, recondidit. Quam multis muneribus donauit, arcubus ſcilicet amplis duobus, penſantibus ſingulis libras XV. ſimul, & alijs multis vaſis argenteis.

Eccleſiæ paries in qua eſt chalcidica, antiquitus vſque ad zophorum è tabulis marmoreis incruſtata fuerat, ſupra zophorum verò vſq; ad tectum è muſiuo ornata eſt. In abſidæ fornice opere teſſellato picti ſunt B. virgo, in medio ſancti Petrus, Paulus, Ioannes Baptiſta, & Ioãnes Euangeliſta item SS. Venãtius, & Domnio martyres cum pallio,

libros

libros in manibus tenentes. Ioãnes IIII. qui baſilicam inchoauit, & eius ſucceſſor Theodorus, qui fortè eam perfecit, cum pallio & planetis cæruleis ſine mitra vel aliquo capitis ornamento. Quorum Ioannes Eccleſiam, Theodorus verò librum in manibus tenent. Supra abſidem in pariete paulò infra tectum, eſt imago S. Saluatoris cum duobus ex vtroque latere angelis, & his etiam ſanctis, videlicet, S. Paulinianus, S. Telius, S. Aſterius, S. Anaſtaſius, coronas in manibus tenentes: S. Maurus cum pallio, S. Sulpicianus Diaconus, S. Antiochianus, & S. Caianus cum coronis in manibus. Supra quorum ſigna, ſunt tres feneſtræ cluſæ cum quatuor interſtylijs Euangeliſtarum animalibus, item Hieruſalem & Bethleem ciuitatibus. In zophoro abſidis ſunt hi è muſiuo verſus:

MARTYRIBVS. CHRISTI. DOMINI. PIA. VOTA. IOANNES
REDDIDIT. ANTISTES. SANCTIFICANTE. DEO
AC. SACRI. FONTIS. SIMILI. FVLGENTE. METALLO
PROVIDVS. INSTANTER. HOC COPVLAVIT. OPVS,
QVO. QVISQVIS. GRADIENS. ET. CHRISTVM. PRONVS. ADORANS
EFFVSASQVE. PRECES. IMPETRAT. ILLE. SVAS.

Ara maxima intus vacua eſt, & paulò ſupra aliquot gradus eleuata prope abſidam. Habet ſupra ſe ciborium marmoreum, quatuor nobiliſſimi operis columnis, albis ſtriatis cum capitulis ornatiſſimis ſuſtẽtatum, ſub quo corpora ſanctorum, quos ſupra enumeraui, dormiunt.

De monaſterio Honorij Papæ iuxta Lateranum.

Honorius Papa (vt auctor eſt in eius vita Bibliothecarius) in domo ſua iuxta Lateranum monaſterium condidit in honorem Dei, & beatorum Apoſtolorum Andreæ, & Bartholomæi, quod Honorij appellabatur. Cui prædia patrimonij ſui, & multa dona obtulit. Ita ille. Cæterùm quo in loco id, vel qua parte fuerit, quum hodie aut dirutum, aut mutato nomine incognitum ſit, incompertum eſt. Forte erat, vbi nunc domus hoſpitalis eſſe vidimus.

De Patriarchio Lateranenſi.

Patriarchium, ſiue palatium Lateranenſe prope baſilicam Conſtantinianam eodem quo baſilica condita eſt tempore, à beato Papa Syluestro Cõſtãtini Imperatoris ſumptibus exædificatam fuiſſe opinor. Quod quamquam apud probatos ſcriptores non meminerim me legiſſe, id tamen facilè ſuſpicor: quod & vetuſta patrum per manus traditione hoc acceperimus: & qui id præterea extruxerit, nemo (quod ſciam) memo-

noratur, præſertim quum qui alia Patriarchia condiderint memoria extet, & ſpecialim earum quæ ſunt iuxta S. Petrum in Vaticano, & à recentioribus ante quadringentos annos ſcriptoribus id apertè referatur. Primus, qui Lateranenſis Palatij Siue Patriarchij, quanquam obſcurè, mentionem faciat, eſt Anaſtaſius Bibliothecarius in vita S. Siluerij Papæ, qui anno ſalutis DXXXV. Romanus pontifex eſt factus. Vbi recitans quorundam ſubornatorum teſtium aduerſus Papam accuſationes, qui Gothis tum Vrbem obſidentibus, eam ipſam prodere voluiſſe affirmabant: Illum in hunc modum Vithegi Gothorum regi ſcripſiſſe aſſeuerabant: Venit ad portam quæ appellatur Aſinaria (hæc eſt S. Ioannis Baſilicæ proxima) iuxta Lateranas, (quòd ſcilicet eo loci tunc maneret pontifex) & ciuitatem tibi trado, & Beliſarium patricium. Idem paulò pòſt apertius Palatij mentionem facit in vita Vigilij papæ, qui poſt Siluerium ſtatim pontifex fuit, vbi de Theodora Auguſta Iuſtiniani Imperatoris vxore loquens, ita ſcribit: Cognoſcens Auguſta, quod Vigilius papa reuocare nollet Anthimum Patriarchã Conſtantinopolitanum hæreticum, miſit Anthimum Scribonem cum iuſſione Romam ad Beliſarium dicens: Exceptis omnibus, in baſilica S. Petri parce. Nam ſi Lateranis, aut in palatio, aut in qualibet Eccle-

ſia inueneris Vigilium, mox impoſitum in nomine perduc eum vſque ad nos. Et paulò infra: Vigilius ex Vrbe diſcedens, reliquit Romam Ampliatum presbyterum, & vicedominum ſuum, & Valẽtinum epiſcopum Sanctarum Rufinæ, & Secundæ, ad cũ ſtudiendum Lateranas, & gubernandum chorum. Idem in vita Ioannis III. papæ. Hic (inquit) conſtituit, vt oblationis, & hamulæ, vel luminaria in cœmeterijs ſanctorum martyrum, per omnes dominicas de Lateranis miniſtrarentur. Vbi ſine dubio de Palatio loquitur. Cęterum Sanctus Gregorius Papa Libro regeſti ſui xi. apertiſſime Patriarchij Lateranenſis mentionem his verbis facit: In nomine domini dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, indictione VI. die XXIII. menſis Nouembris, temporibus domini beatiſſimi Papæ Gregorij, coronatus eſt Phocas, & Leontia Auguſta, ſeptimo palatio quod dicitur Secundianas: venitque eorum Icona Romam, VII. Kal. Maij: & acclamatum eſt eis in Lateranis, in baſilica Iulij ab omni clero, vel ſenatu, Exaudi Chriſte: Phocæ Auguſto, & Leontiæ Auguſtæ vita. Tunc iuſſit ipſam Iconam domnus beatiſſimus & Apoſtolicus Gregorius papa reponi in oratorio ſancti Cæſarij martyris intra palatium. Ex quibus ſcriptoribus apertè liquet, ſancti Gregorij tempore ante annos plus minus mille, palatium ſiue patriarchium

chium Lateranenſe prope baſilicam Conſtantinianam ſitum, Romanorum pontificum peculiare domicilium fuiſſe, quod à multis pontificibus reparatum, nouiſquе in dies fabricis, oratorijs, auiis, baſilicis, cameris, triclinijs, porticibuſq́; antiquis dirutis renouatum, & auctum, paſſim in ipſorum vitis legitur. Patriarchij porrò Lateranenſis nomine intelligitur primùm aula magna, quam Salam concilij vocant, pulpitus marmoreus Bonifacij VIII. papæ, porticus duæ, quibus ex eo loco iter eſt ad ſcalam ſanctam, & ædiculam ſancta ſanctorũ. Item palatium omne quod ab area, quæ ante frontem baſilicæ Conſtantinianæ eſt altiſſimis parietibus, menianis, porticibus, & multis, maximiſq́; parietinis refertum, nũc penè totum dirutum, & ſine contignatione, tecto, ſolarijſq́; cernitur. Cuius portæ valuis æreis ornatæ ſunt, è regione ſancta ſanctorum. Zacharias papa porticum ante patriarchium Lateranenſe (vt tradit Bibliothecarius) ſacris imaginibus ornauit: vbi etiam omnem ſubſtantiam ſuam per manus Ambroſij primicerij notariorum introduci mandauit. Fecit autem à fundamentis ante Scrinium Lateranenſe porticum, atq́; turrim, vbi & portas æreas, atque cancellos inſtituit, & pergulam Saluatoris ante fores ornauit, & per aſcendentes ſcalas in ſuperioribus ſuper eandem tur-

rim triclinium, & cancellos æreos conſtruxit, vbi & orbis terrarum coſmographiam depinxit, atq; diuerſis verſiculis exornauit, & omne patriarchium pene de nouo reſtaurauit, in magna enim penuria eundem locum inuenerat. Hæc ille. Fecit etiam in eodem palatio baſilicam, quæ Panetaria dicebatur, de qua infra dicam. Idem quoq; Pontifex in ipſo Patriarchio inuenit reconditũ caput S. Georgij martyris in antiqua capſa, cum Græcarum literarum inſcriptione id ſignificante, quod cum clero & populo Romano pſallendo ad eius diaconiam, quæ in Velabro ſita eſt, ſolenni ritu deportauit, atque recondidit, idem pontifex ſtatuit, vt ſingulis diebus alimenta de patriarchio Lateranenſi à cellario ſuo pauperibus, & peregrinis egenis præberentur, qui ad S. Petrum permanebant. Itidem omnibus inopia preſſis, & infirmis per ſingulas Vrbis regiones præſtari iuſſit.

In vita quoq; Hadriani primi ſic ſcribit Bibliothecarius : Pontifex ſub validiſſimis obligationum interdictionibus edixit, vt in perpetuum ſingulis diebus centum pauperes ad minus, & ſi etiam plus fuerint, congregarentur in Lateranenſi patriarchio, & conſtituerentur in porticu, qui eſt iuxta ſcalam (quam nunc Sanctam dicimus, id eſt, ſub porticibus porticus veteris Lateranenſis, quæ nunc obſtructæ ſunt) quæ aſcendit

ad patriarchium, vbi etiam dicti pauperes depicti erāt, & quinquaginta panes penſantes ſinguli libras duas, ſimulq́ & vini decimata duo penſantia ſingula libras LX. & ollæ pulte plenę diſtribuerentur ſingulis diebus opera fideliſſimi pientiſſimiq́ alicuius paracellarij ijſdem pauperibus Chriſti, vt vnuſquiſq́ eorum panis, vini, pultisq́ partem acciperet.

In eodem patriarchio Leo III. papa, multa ampla ædificia conſtruxit, inter hæc maximam aulam, quæ introeuntibus interiorem patriarchij partem ſtatim ante valuas æreas occurrit, quam tribus chalcidicis, in poſtico ſcilicet, & à lateribus auxit, cunctaqúe varijs picturis, & muſiuo exornauit.

Leo porrò IIII. papa, ſedilia in ingreſſu patriarchij marmoribus conſtruxit, quæ nullus vnquam pontificum, vt perficeret, cogitarat. Solarium quoque, quod Leo III. conſtruxerat, quum præ vetuſtate fractis trabibus ruinæ proximum eſſet, nouum in meliorem formam reſtaurauit. Antiquas ſacri palatij Lateranenſis & bonas quaſdam conſuetudines prædeceſſorum ſuorum temporibus antiquatas, ad memoriam reducens, cunctas renouauit, & perpetuas eſſe iuſſit. Cuiuſdam patriarchij ſcalæ ſic mentionem facit Bibliothecarius in vita Stephani III. Philippus presbyter de pa

triarchio Lateranenſi expulſus, per ſcalam, quæ ducit ad balneum, diuertens, ad ſuum reuerſus eſt monaſterium.

Poſt Leonem IIII. longo annorum interuallo (quanquam veriſimile, imò neceſſarium ſit, multos Pontifices Lateranenſes ædes reſtituiſſe, multas in ijs fabricas conſtruxiſſe, & vetera reparaſſe, neminem inueni vſque ad Calliſti papæ II. tempora, qui aliquid in patriarchio conſtruxerit. Is anno Domini MCXIX. creatus, pace cum Henrico V. Imperatore poſt ſexaginta ferè annorum diſſidium facta, animum ad reparandum patriarchium Lateranenſe, diuturni ſchiſmatis cauſa à ſuperioribus pontificibus diu vexatis & profugis negligentius habitum, & ideo ruinæ expoſitum, conuertit. Ante omnia igitur in medio palatio interiori à fundamentis ædificauit Oratorium ſiue ædiculam in honorem ſancti Nicolai Epiſcopi, pulchram, & oblongam, cum tecto ligneo imbricato, quam etiam totam pinxit, in cuius abſida eos omnes Romanos pontifices, qui ante ſe fuerunt, ab Alexandro II. deinceps pingi iuſſit, quanquam fœdiſſima pictura. Hi fuere Alexander II. Gregorius VII. Victor III. Vrbanus II. Paſchalis II. Gelaſius II. Item his adiunxit ex antiquis ſanctos Leonem, & Gregorium magnos, & ſeipſum in abſidæ teſtudine ad pedes Saluatoris. In cuius altari

tari multas reliquias recondidit. Hanc porrò ædiculam peculiari Romani pontificis vſui ipſe condidit: iuxta quam idem pontifex duo coniuncta conclauia ſiue cubicula, ſub quibus veſtiarium, id eſt, guardarobam addidit, conſtruxit. Cubiculorum verò vnum iconijs picturis exornauit, quod audientiæ addixit, & rebus publicis tractandis. In quo ſuperiora omnia ſchiſmata, quæ eccleſiaſticæ libertatis aſſerendæ cauſſa exorta fuerant, annotauit: vt Alexandri II cũ Cadolo Parmenſe, Gregorij VII. Victoris III. & Vrbani II. cum Ghiberto Rauennate, & Paſchalis cum tribus adulterinis alijs pontificibus. Poſtremò pacem, quam ipſe cum Henrico V. Imperatore, eiuſq; Imperatoris priuilegium in tabula magna deſcriptum adiunxit: quæ adhuc vetuſtate exolentia pene cerni poſſunt. Sub Alexandri itaq; II. tabula, in qua ipſe pictus eſt, cum Cardinalibus pedibus Cadolum conculcans, ſunt huiuſmodi verſus:

REGNAT ALEXANDER CADOLVS CADET ET SVPERATVR

..,...,. NIHILATVR.........

Sub Gregorij verò VII. Victoris III. & Vrbani II. Signis, ſunt eiuſmodi alij duo verſus:

GREGORIVS, VICTOR, VRBANVS CATHEDRAM TENERVNT,

GIBERTVS CIVIM SVIS TANDEM DESTRVCTI FVERVNT.

Sub Paſchalis verò, & Gelaſij II. ſimulachris quoſdam ſchiſmaticos pontifices ſub pedibus tenentibus, ſunt hi alij duo.

Eccleſiæ decus PASCHALIS PAPA SECVNDVS

Albertum damnat, MABINVLFVM, THEODERICVM,

Sub Calliſti verò II. figura, ſunt hi:

ECCE CALIXTVS HONOR PATRIAE, DECVS IMPERIALE

NEQVAM BVRDINVM DAMNAT, PACEMQVE REFORMAT,

Quibus figuris oſtędebat Romanam Eccleſiam ſub Alexandro II. excuti cœpiſſe Imperatorum iugum, qui eam oppreſſam tenebant: & ſub ſe Pontifice id omnino perfectum eſſe, vt non ſolum Eccleſia Romana, ſed omnis Chriſtiana Eccleſia, in libertatem vindicata eſſet, quando pace cum Imperatore Henrico V. facta, omnes, quas non tantum in Romano pontificatu, ſed etiam in omnibus alijs Cathedralibus Eccleſijs ſiue Abbatijs rationes, iuriſdictiones, priuilegia, & iura à ſuperioribus Romanis pontificibus, vt Hadriano, Leone VIII. & Clemente II. Imperatoribus Carolo Magno, Othone, & Henrico III. conceſſa, eiuraſſe, & abdicaſſe, liberasq́ in omnibus Eccleſijs & Abbatijs per clerum, & monachos electiones

nes fieri permiſiſſe. Priuilegij porrò Henrici V. à Calliſto II. conceſſi, quod adhuc (quanquam exoleſcens) muro pictum cernitur, exemplum ſequens eſt.

EGO HENRICVS DEI GRATIA, ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS. Pro amore Dei, & S.R.E. & domini papæ Calliſti, & pro remedio animæ meę dimitto Deo, & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo, Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem inueſtituram per annulum, & baculum: & concedo in omnibus Eccleſijs fieri electionem, & liberam conſecrationem. Poſſeſſiones, & regalia Beati Petri, quæ à principio huius diſcordiæ vſque ad hodiernum diem, ſiue tempore patris mei, ſiue etiam meo, ablata ſunt, quæ habeo eidē S. Romanæ Eccleſiæ reſtitutio, quæ aūt non habeo, vt reſtituantur fideliter iuuabo, poſſeſſiones etiam omnium aliarum eccleſiarum, & principarum, & aliarum tam clericorum, quàm laicorum, conſilio principum, & iuſtitia, quæ habeo, vt reddantur fideliter iuuabo. Et do veram pacem Calliſto Papæ S.R.E. & omnibus qui in parte ipſius ſunt vel fuerunt, & in quibus Sancta Romaná Eccleſia auxilium poſtulauerit fideliter iuuabo.

CALLISTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI DILECTO FILIO SVO HENRICO DEI GRA-

TIA ROMANORVM IMPERATORI AVGVSTO, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Concedo electiones Epiſcoporum, & Abbatum Theutonici Regni, quę ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque Simonia, & aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani, & prouincialium conſilio, vel iudicio, ſaniori parti aſſenſum ac auxilium præbeas, electus autem regalia per ſceptrum à te recipiat (exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur) & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex alijs verò partibus Imperij conſecratus, infra ſex menſes regalia per ſceptrum à te recipiat. De quibus verò mihi quærimoniam feceris, ſecundum officij mei debitum auxilium meum præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus qui in parte tua ſunt, vel fuerant tempore huius diſcordiæ. Datum Anno MCXXII. IX. Kalend. Octobris.

Hæc omnia in priori cubiculo annotata ſunt. Alterum verò cubiculum huic proximum & varijs picturis ornatum, particularibus Pontificum vſibus Calliſtus Papa addixit, quod adhuc ſemifractum, & ſine tecto ſupereſt. Idem etiam Pontifex aquam ex antiqua forma ad portam Lateranenſem corriuauit, lacumq; equorum potui ibidem fecit, & aliquot ſupra ipſum riuum molas

palatij vſibus conſtruxit, vineas quaſdã ſecus locum arboribus fructiferis refertas ad pontificum oblectationem plantauit.

Innocentius II. papa in penitiori parte Lateranenſis patriarchij duo alia cubicula à fundamentis fecit, retro, ædiculam S. Nicolai, ea parte quæ frontẽ baſilicæ Lateranẽſis reſpicit (hæc adhuc ſemirupta ſuperſunt) q̃ varijs picturis ornauit: in quorum vno coronationẽ Lotharij II. Imperatoris ab ſe in baſilica Lateranenſi conſecrati pinxit. In cuius tabulæ prima parte pict⁹ eſt Rex, q ante portas baſilicæ Lateranenſis iurat Romanis ſe conſeruaturum conſuetudines ſuas: poſt à papa ſuſcipitur, amplectiturq́; deinde coronatur. Cui picturæ hi verſus ſuppoſiti fuerunt.

REX STETIT ANTE FORES IVRANS
PRIVS VRBIS HONORES.
POST HOMO FIT PAPAE, SVMIT QVO
DANTE CORONAM.

Quos verſus Fridericus Barbaruſſa Imperator tanquam in Imperij præiudiciũ, quod non à papa, ſed à Deo immediatè eſſe contendebat, eradi iuſſit, vt tradit Otho Friſingenſis in lib. de rebus geſtis Friderici Imperatoris. Totum porrò ipſum Patriarchium idem pontifex renouauit.

Hadrianus autem IIII. conclauia ferè omnia, & cameras in eódem palatio vetuſtate collabentia, reſtituit, ciſternamq́ue

capacem fabricauit patriarchio admodum neceſſarium.

Clemens papa III. Lateranenſe palatium haud mediocri impenſa ampliauit, parietes altiores fecit, puteum ante ſtatuam equeſtrem æneam M. Aurelij, quę in campo erat, conſtruxit.

Cœleſtinus III. cubicula aliquot, & conclauia, in eodem palatio condidit, vt ex eius inſignibus, quæ hactenus in marmoreis paraſtatis videntur, liquet: portas æreas patriarchij interioris & exterioris fecit, quæ nūc etiam viſuntur. Quarum interiores hanc inſcriptionem habent,

INCARNATIONIS DOMINICAE ANNO MCXCVI.
PONTIFICATVS VERO DOMINI CAELESTINI PAPAE III.
ANNO VI. CENCIO CAMERARIO MINISTRANTE.
HOC OPVS FACTVM EST.

Exteriores verò, quæ ſuper gradus ſcalæ veteris palatij Lateranenſis ſunt, hanc inſcriptionem habent.

ANNO V. PONTIFICATVS DOMNI CAELESTINI PAPAE III.
CENCIO CARDINALE S. LVCIAE, EIVSDEM DOMNI PAPAE CAMERARIO IVBENTE.
OPVS ISTVD FACTVM EST.

Hadrianus poſtea V. palatiū Lateranenſe lon-

longa prædeceſſorum ſuorum abſentia ruinæ proximum, reparari iuſſerat, ſed morte præuentus totum negotium imperfectum Nicolao III. reliquit, qui omne pene reſtituit vetuſtate dilabens, quo Pontifices ſeditionibus Romanorum inteſtinis vexati diu abfuerant.

Clemente V. in Gallijs ab Vrbe cum Curia abſente (vti ſupradixi) cum baſilica Lateranenſi palatium quod omne incendio conſumptum eſt, cum ipſe tum qui ei ſucceſſore Ioannes XXIII. & Benedictus XII. miſſis cum magna auri ſumma miniſtris, reſtituerunt.

Gregorio porrò XI. ex Gallijs ad Vrbem cum Romana curia reuerſo, & paulò pòſt mortuo, qui ei ſucceſſit Vrbanus VI. parum in Vrbe vixit: ſed Bonifacius IX. Neapolitanus occaſione molis Hadriani, quam in munitiſſimam arcem prius conuerterat, ductus, primus omnium Romanorum pontificum Lateranenſi palatio omnino relicto apud Baſilicam S. Petri ſedes perpetuas poſuit, præſertim quum ibidem paulò antè Vrbanus V. egregias ædes ſtruxiſſet. A quo tempore deinceps Laterani nullus Romanorum pontificũ amplius habitauit. Quare breui factum eſt, vt palatium ipſum ruinæ expoſitum eſſet.

Eugenius IIII. non nihil in eo reſtituit.

Nouiſſimè Xiſtus IIII. omne pene collap-

ſum

ſum reparauit,nouas portarum antas fecit. Leo X.quũ Lateranenſem baſilicã viſitaſſet,omnibus Cardinalibus & nobilibus Vrbis comitatus,epiſcopatus Romani (vt dicitur) poſſeſſionem accepiſſet,in eodem palatio aliquando pernoctauit.

Poſtremo ſub Paulo III.& Iulio III. ruinã minitans, eorundẽ permiſſione à canonicis dirutũ eſt,cõtignationesq́ omnes cum trabibus & imbricibus tegulisq́ ab eiſdem in eccleſiæ vſum tranſlata: ita vt ex tanta machina nihil prætereà quâm ingentes parietinæ,craſsiſſimę paraſtatæ,& maximę aggerum ac murorum ſtrues,omnes ſine contignatione ſuperſint. Extant adhuc veſtigia & parietes aulæ Leonianæ, cubiculorũ Innocentij II. & Calliſti II.ædiculæ ſancti Nicolai,& conclauiorum Cœleſtini III. quæ vel ex inſignibus,vel picturis,aut elogijs adhuc agnoſci poſſunt, quanquam nullus ad ea niſi admotis ſcalis modò aditus ſit.

De Baſilica Leoniana minori.

Introeuntibus interiorem Patriarchij partem ſupra aliquot gradus ſtatim ſeſe offert aula magna cum tribus tribunis, quam à Leone III. conditore Leonianam aulã veteres vocabant. Hęc vel muſiuo,vel marmorea cruſtatione,tota exornata erat. Supereſt adhuc vetuſtum è muſiuo emblema circum abſidam tribunæ in poſtico aulæ, in quo

quo S. Petrus ſedens pictus eſt, qui Carolo Magno Imperatori leua vexillum, Leoni verò papæ III. dextra pallium ante ſe genu flexis porrigit, cũ hiſce inſcriptionibus: SANCTISSIMVS D. N. LEO III. PAPA. Item, D. N. CARVLO REGI. Infra verò ſub S. Petri pedibus.

BEATE PETRE ....

..... LEONI PAPAE ET BITORIA CARVLO REGI DONA.

Hæc (vt dixi) antiquitus baſilica Leoniana minor ad differentiam maioris, quæ & Caſa maior vocabatur, dicta eſt, eratq; iuxta pontificis cubicula ſiue cameras, in qua pontifex, in quibuſdam præcipuis ſolennitatibus cum Cardinalibus comedere ſolebat, vt ſecunda & tertia feria Paſchæ, & alijs quibuſdam diebus. In ea quoq; publici conuentus, ſiue conſiſtoria fieri ſolebant: nunc tectum & pauimentũ dirutum eſt, ſuperſuntque tantum altiſſimę parietinæ, quibuſdam pretioſi operis columnis ornatæ.

De porticu Lateranenſi.

Ante palatium Lateranenſe (cuius frons aliquando totus opere arcuato apertus erat, hodie verò arcus omnes muro clauſi ſunt, præter arcũ portæ palatij veteris, quæ habet valuas æreas, à Cœleſtino III. factas) eſt portic⁹ antiqua verſus ſeptentrionem locata, ad quã per gradus ſcalæ ſanctæ auditus

eſt:

eſt: olim fuit tota & marmoreis tabulis incruſtata, & varijs è muſiuo emblematibus ornata, nunc diruta, omnia ferè vetuſtate conſumpta ſunt. Initio porticus occidentē verſus in fine alterius porticus, quæ hoſpitale, & pulpitium Bonifacij VIII. reſpicit, eſt antiqua fabrica, ſiue vetus aula quadrata, quam veterem baſilicam fuiſſe opinor: nūc cluſa, & pro domo in vſu eſt. Propè eſt oratorium S. Silueſtri. Deinde porta, quæ reſpicit gradus ſcalæ, (quam nunc Sanctam vocant) antiquitus verò patriarchij erat, cuius fores æneæ ſunt à Cœleſtino III. factæ. Deinde eſt columella in duas partes diuiſa cum proximo altari muro affixo. Poſtea à dextera ſunt Portæ Lateranenſis patriarchij interioris, poſt veſtibulum ante oratorium Sancta ſanctorum, quod oratorium ſiue baſilica S. Gregorij dicebatur, duobus altaribus vacuis, altero muro affixo propè feneſtram & cancellos oratorij S. Laurētij, altero in eius medio. Poſtea eſt oratorium S. Laurentij, ſiue ſancta ſanctorum, quod à multis & celeberrimis reliquijs ita appellatur. In fine verò porticus orientem verſus propè magnam feneſtram, eſt altare ſupra veterem baſim cū hac inſcriptione. CALLISTVS PAPA III. AN. MCCCCLVII. Porticus ineptis quibuſdam picturis exornata eſt. Superſunt etiam nunc tenuia quædam veſtigia veteris incruſtaturæ è lapillis teſſellatis.

De pulpito Bonifacij VIII. Papæ.

INter aulam, quã ſalam Concilij vocant, & hanc quam ſupra deſcripſi porticum, eſt alia porticus oblonga, & de nouo reſtituta, qua ad palatium ex baſilica Conſtantiniana, & ſala concilij iter eſt: in cuius fine occidentem verſus eſt pulpitum marmoreum à Bonifacio VIII. factum, totum ferè depictum, & emblematibus ornatum. Pulpitum extra concilij aulam porrectum eſt, totum è lateribus & marmore factum. Picturæ pro temporum conditione elegantiſſimę exiſtimantur, Cimabouis egregij pictoris manu factæ, qui primus Italiæ picturam poſt antiquos reſtituit. In his pictus eſt Bonifacius VIII. populo ex eo mœniano benedicens, Conſtantini baptiſmus, & baſilicæ Lateranenſis exædificatio: multis in locis ſunt familiæ Gaietanæ, ex qua Bonifacius fuit, inſignia, cum hoc elogio:

DOMINVS BONIFACIVS PAPA VIII. FECIT TOTVM OPVS PRÆSENTIS THALAMI.

ANNO DOMINI MCCC.

Ante quas proxime deſcripſi porticus, eſt campus Lateranenſis ampliſſimus, aquæ Claudiæ formas pertingens, in quo olim fuerunt multæ præclaræ domus: in his Cãcellarij, Camerarij, Epiſcopi Albanenſis, & aliorum, quarum adhuc veſtigia, & parieti-

næ ſuperſunt. Fuit etiam ibi antiquitus M. Aurelij ænea equeſtris ſtatua, quam Xyſtus IIII. è ſordido loco in auguſtiorem in area ipſa repoſuit: quam poſtremo Paulus III. in aream tranſtulit capitolinam. Non ab re autem in Lateranenſi area diu fuit M. Aurelij equeſtris ſtatua, quum ipſum his in locis natum fuiſſe referat in eius vita Iulius Capitolinus.

De aula, quam nunc Salam concilij vocant.

SInistra baſilicæ Lateranenſis parte eſt porta, qua per aliquot marmoreos gradus aſcenditur ad aulam amplam & ſpatioſam, quæ cōcilij ſala hodie P nominatur. In cuius abſidæ fornice eſt hoc ſignum L.O.E, id eſt, Leo Papa, qui muſiueis ſignis ineptis eam A ornauit. Hæc aula noſtris temporibus ſala concilij dicitur, quod ibi primus (vt opinor) Eugenius IIII. concilium celebrare diſpoſuerit, & nouiſſimè Iulius II. celebrarit. Antiquitus ab amplitudine Caſa maior, vel ab auctore baſilica Leoniana dicebatur, quam Leo Papa III. pontificum Romanorum vſui conſtruxit, & exornauit. In qua diebus quibuſdam ſolennibus, vt Paſchatis, & Natalis Domini Romani pontifices cum Cardinalibus prandere ſolenni ritu conſueuerant. Eam (vt ſcribit Anaſtaſius

Bibli-

Bibliothecarius)Leo IIII.renouauit. Accubitum enim (inquit) quem Leo III. Papa à fundamentis cõſtruxerat,& multa in eo neceſſaria ornamenta parauerat, & tunc præ vetuſtate, & prædeceſſorum ſuorũ pontificum incuria deperdita fuerant, idem Leo IIII.alacriter nimis omnia ea quæ deleta fuerant,renouauit.Ibi enim die Natalis domini Gregorius IIII.& Sergius II.papę epulari ſolebant.Ita illle.Die verò Paſchę finita Miſſa,quã pontifex ad S.Mariam Maiorem celebrare ſolebat, coronatus cũ proceſſione ad Palatiũ reuertebatur: & acceptis laudibus à Cardinale S.Laurentij, ducebatur à primicerio,ſecundicerio,atq; iudicibus cũ mitra intra baſilicam hãc magnã Leonianam,quę dicebatur Caſa maior, vbi eo die comedere ſolebat. Hoc innuere videtur oratio, quæ ſcripta eſt in zophoro abſidæ maioris, ſic:

DEVS. CVIVS. DEXTERA. BEATVM. PETRVM. AMBVLANTEM. IN. FLVCTIBVS. NE. MERGERETVR. EREXIT. ET. COAPOSTOLVM. EIVS. PAVLVM. TER. NAVFRAGANTEM. DE. PROFVNDO. PELAGI. LIBERAVIT. TVA. SANCTA. DEXTERA. PROTEGAT. DOMVM. ISTAM. ET. OMNES. FIDELES. CONVIVANTES. QVI. DE. DONIS. APOSTOLI. TVI. HIC. LÆTANTVR.

In hac porrò aula, quæ Leonina dicitur,

legimus Nicolaum papam Concilio congregato Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium, aſtātibus proceribus & optimatibus multis, reſtituiſſe ad dignitatem ſuam Ioānem Archiepiſcopum Rauennatē, qui ſuperbia elatus ab Apoſtolica ſede deſciuerat, & propterea ab eodem papa dignitate multatus fuerat, vt commemorat Anaſtaſius Bibliothecarius.

De oratorio S. Syluestri.

Oratorium S. Syluestri eſt in porticu Lateranenſi ante vetus patriarchium, vbi ſunt duæ ſedes perforatæ porphyreticæ, quod quis cōdiderit incertum. Primum de eo mentionem fieri in Zachariæ papæ vita apud Bibliothecarium inueni, qui ſic ſcribit: Zacharias papa ſacris imaginibus tam oratorium B. Syluestri, quàm omnem porticum decorauit. Hoc oratoriū habet in medio altare vacuū, reliquijs (*vt credi par eſt*) plenum, tectū ligneum, & imbricatū, pauimentum teſſellatū. Supra portā verò tabernaculum marmoreum, ſuſtentatū à duabus columnis porphyreticis, in quo diu locata fuit vetuſta S. Saluatoris imago, quæ à quodam Iudæo olim in fronte percuſſa ſanguinem emiſit. Hodie tabernaculū ſemifractū tātum ſupereſt. Paulò extra portā ſunt duæ antiquæ ſedes porphyreticæ perforatę, vna ſcilicet ex vtraque parte, quæ in antiquis thermis lotionis vſui fuere: poſtea à Roma-

nis

nis pontificibus eo loci poſitæ, in qbus cęrimonias quaſdã recẽs creati pagere ſolebãt. Noſtro tempore, die S. Sylueſtri in eo oratorio Canonici Lateranenſes ſacra Miſſarum ſolennia celebrant. Erãt in hoc palatio ædiculæ, ſiue ſacella, & aliquot baſilicę, vt Vigilij papæ, Iulia, Zachariæ papæ: item oratoria S. Cęſarij martyris, S. Sebaſtiani, alias baſilica Theodori papæ, S. Petri, S. Crucis, S. Georgij, & ſancti Gregorij papæ: item cellaria maius & minus, veſtiarium, vicedominium, in quo papæ Vicedominus, ſiue (vt hodie dicimus) Vicarius habitabat, & alia multa ædificia, quæ paſſim Bibliothecarius in Romanorum pontificum vitis commemorat, quæ omnia diruta ſunt, & nulli amplius cognita.

De Oratorio S. Laurentij, quod nunc dicitur SANCTA SANCTORVM.

Ex quodam obſcuro loco Anaſtaſij Bibliothecarij conijcere poſſumus, ſacellum, quod nunc Sancta ſanctorum dicitur, olim dicatũ fuiſſe à papa Theodoro, ſancto martyri Chriſti Sebaſtiano, ideoqúe Theodori papæ baſilicam aliquando vocitatam fuiſſe. Nam Bibliothecarius in ea ædicula, quam baſilicam vocat, Apoſtolos reconditos fuiſſe, innuere videtur his verbis in vita papæ Sergij: Egreſſus idem beatiſſimus pontifex Sergius foris baſilicam, quæ dicitur Domini Theodori papæ, apertis ianuis, ſe-

deus in ſede ſub Apoſtolis, generalitatem militiæ, & populi, qui pro eo occurrerant, honorificè ſuſcepit, eoſq; rogauit, ne Zachariam Spatarium, quem occidere volebant, violarent. Ego porrò ex verbo illo (ſub Apoſtolis) exiſtimaui aliquando hanc baſilicā Theodori papæ fuiſſe, quā S. Sebaſtiano dedicaſſe refert Bibliothecarius. Sed hanc leuem coniecturam eſſe, quis facilè ſuſpicari poterit. Nam capita Apoſtolorum eo loci illo tempore fuiſſe ex ipſo Bibliothecarij loco non ita clarè elici poſſe exiſtimo. Illud adde, quod paulò poſt in vita Stephani III. idem Bibliothecarius apertè huius oratorij S. Laurentij ſic mentionem faciat: Alio verò die Conſtantinus Subdiaconus, & Diaconus à Georgio Epiſcopo in oratorio S. Laurentij intra patriarchium Lateranenſe conſecratus eſt. Vtvt ſit, illud ſatis conſtat, hoc oratorium, quod antiquitus S. Laurentij, nunc ſancta ſanctorum dicitur, in patriarchio Lateranenſi vetuſtiſſimū eſſe. Quod niſi Theodori papæ fuerit, quis primus condiderit, incōpertum hactenus habeo. Illud ſatis manifeſtum eſt, id ab Honorio III. renouatum fuiſſe. Quod poſtea Nicolaus III. Vrſinus ruinoſam à ſolo, opere perpetuo ſub ipſo cum lateribus marmoreis ſtabiliuit, ac in ſuperiori teſtudinis parte picturis pulcherrimis ornatum refundari iuſſit, capitibus Apoſtolorum cum præputio Chri-

ſti,

ſti, capillis B. Virginis, & capite Beatæ Agnetis ſeorſum poſitis, quarum reliquiarum vnaquæque in propria theca, erat, & deinde manu ſua in palatium nouum Lateranenſe ab ſe renouatum de nocte tranſtulit, & à religioſis perſonis cuſtodiri, donec oratorium completum fuiſſet, iuſſit. Quo perfecto adſtante vniuerſo populo Romano, prælatis cunctis, & Cardinalibus, ipſe manibus ſuis ſub altari eiuſdem baſilicæ eaſdem argēteas reliquiarum thecas repoſuit, quod altare prid. nonas Iunij cōſecrauerat. Ita F. Ptolemæus Lucenſis ordinis Prædicatorum, qui eo tempore vixit, in chronico ſuo.

Hoc porrò oratorium eſt in nouiſſima parte porticus Lateranenſis patriarchij orientem verſus ſitum. Habet valuas æreas miri operis cum ciboriolo vel tympano è muſiuo & imagine S. Laurentij, cui oratorium dedicatum eſt, duabus quadratis, & elegantis ſtructurę columellis ſuſtentato. Ædicula parua eſt, & tota picta, teſtudinem habet lateritiam, plumbeis laminis tectam, pauimētum teſſellatū, ſedilia circumcirca lapidea, parietes è tabulis marmoreis incruſtati: vnnum tantum altare habet, ſub quo diu iacuerunt capita Apoſtolorum, & lignum S. crucis: ſupra, eſt imago S. Saluatoris, multis & maximis ornamentis aureis, & argēteis, gemmiſq; referta, & cortinis aureis decorata. Hæc antiquis temporibus Romanorum

pontificum peculiaris ædicula (quam capellam vocabant) erat, poſtea à quatuor canonicorum collegio diu recta fuit, nunc à cuſtode quodam viro religioſo ſocietatis S. Saluatoris iuſſu cuſtoditur: eſt enim nobiliſſimorum ciuium eam, & Saluatoris imaginem cuſtodientium ſodalitas, à Romanis pontificibus inſtituta, quæ etiam hoſpitali Lateranenſi præeſt.

In hoc verò oratorio reliquiæ quamplures pretioſiſſimæ, & certiſſimæ fuerũt, quarum multæ adhuc ibidem extant, multæ ſuo loco ablatæ. Inter cæteras aliquando fuit ibi pars ligni ſanctiſſimæ crucis, cuius ita meminit Beda in libro de temporum ratione: Papa Sergius in ſacrario B. Petri Apoſtoli, capſam argenteam, quæ in angulo obſcuriſſimo diutiſſimè iacuerat, & in ea crucem diuerſis ac pretioſis lapidibus adornatam, Domino reuelante reperit: de qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ incluſæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni ſalutiferi Dominicæ crucis interius repoſitam inſpexit: quæ ex tempore illo annis omnibus in baſilica S. Saluatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, die Exaltationis eius ab omni oſculatur atque adoratur populo. Et in Sergij papæ vita, etiam eiuſdem mentionem facit Anaſtaſius Bibliothecarius.

Hanc ligni ſanctiſſimi portionem excidio

dio vrbis ſub Clemente VII.à militibus aliquot theca argentea direpta ablatam, Pontifex prodigioſe, & non ſine ope diuina recuperauit: & aurea, cryſtallinaq́ cruce incluſam, in palatio Vaticano, vbi eſt Sacriſtia pontificia, ſeruari iuſſit.

In eodem etiam oratorio diu (vt dixi) iacuerunt Apoſtolorum Petri, & Pauli capita, quæ Innocentius papa III. (vt ex hac inſcriptione liquet) ſub altari S. Saluatoris æreis armarijs recondidit.



HOC OPVS FECIT FIERI DOMINVS INNOCENTIVS PP. TERTIVS.

NICOLAVS PP. III. HANC BASILICAM FECIT A FVNDAMENTIS RENOVARI, ET ALTARE FIERI.

Vrbanus V. quum parum ex dignitate eo loco iacerent, in baſilica, fal r cato ad id aptè ferculo marmoreo, ſupra aram maximam collocauit. Qui verò Apoſtolorum capita in eo oratorio primus recondiderit, non inueni. Illud certè ex vetuſto rituali libro conſtat, eodem in loco ante annos plus minus noningentos ſub Sergio primo, qui anno DCLXXXVII. pontifex factus eſt, ſeruari ſolita fuiſſe: in eius enim vita tum primum apud Bibliothecarium reliquiarum Apoſtolorum in patriarchio Lateranenſi exiſtentium mentionem fieri inueni, quas in Theodori baſilica fuiſſe refert.

Capitum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quæ in oratorio S.Laurentij aſſeruabantur, ante quadringentos annos in veteri rituali libro aperta mentio eſt, vbi diei Veneris ſancti cæremonias explicat. Quas accuratè conſideranti illud mihi in mentem venit, his temporibus, quibus hæc fiebant, ædiculam ipſam S.Laurentij paulò grandiorem quàm nunc eſt fuiſſe: nam tam anguſto, quàm nunc cernimus loco difficulter admodum tot & tantæ cærimoniæ cum magno Cardinalium & aliorum ordinum numero à pontifice celebrari potuiſſent: Nam quum legimus Nicolaum III. eam renouaſſe, facilè fieri potuit, vt eam ex ampla & mulorum hominum capace, paulò reſtrictiorem refeciſſet.

De

De ſacra verò Saluatoris imagine, quæ eodem in ſacello ſeruatur, primum mentionem fieri inueni apud Bibliothecarium in vita Stephani papæ II. qui anno Domini DCCLII. pontifex factus eſt, his verbis: Quum Aiſtulfus Longobardorum Rex Romanos accerrimè vexaret, Stephanus papa conuocato clero populoqúe Romano cum multa humilitate proceſſit in Litania cum ſacratiſſima imagine S. Saluatoris Domini noſtri IEſu Chriſti, quæ græcè acheropita (ideſt non manu hominis facta) dicitur, ſimulq; cum ea alia diuerſa ſacra myſteria, ꝑprijs humeris ſuppoſitis, nudis pedibus cũ alijs ſacerdotibus portauit; pergenſq; ad Eccleſiam ſanctæ Dei genetricis Mariæ, quę ad præſepe dicitur, poſito in omnium capitibus cineræ, maximo cum fletu omnipotentem Deum deprecabatur. Ita Anaſtaſius Bibliothecarius. Hæc ſanctiſſima imago vſque ad noſtra tempora in hoc oratorio conſeruatur. In quo præter eas, quas ſupradixi, infinitæ pene aliæ reliquiæ erant, quæ à Leone X. papa, & excidio vrbis partim ablatæ ac direptæ, partim vetuſtate conſumptæ ſunt, quarum ſeriem ex deſcriptione Ioãnis Diaconi Lateranenſis, qui eas ante CCCC. annos enumerauit, deſcripſitq;, exponam. In oratorio (inquit) S. Laurentij, quod eſt in palatio Lateranenſi, ſunt tria ſanctiſſima altaria. Supra primum in arca cypreſſina, quã

Leo

Leo III. Papa condidit, ſunt tres capſæ. In quarum vna eſt crux aurea adornata gemmis & lapidibus pretioſis, id eſt, hyacinthinis, ſmaragdinis, & praſinis: & in media cruce eſt vmbilicus Domini noſtri IESV CHriſti, & deſuper eſt iniuncta balſamo, & ſingulis annis eadem vnctio renouatur, quando Domnus Papa cum Cardinalibus facit proceſſionem ſanctæ crucis, ab ipſa Eccleſia S. Laurentij in baſilicam Lateranenſem. In alia verò capſula argentea & deaurata cum hiſtorijs, eſt crux de ſmalto depicta: infra quam eſt crux CHriſti. In tertia capſa quæ eſt argentea, ſunt ſandalia, id eſt, calciamenta Domini noſtri IESV Chriſti. Eſt etiam ibi alia capſa deaurata, in quo eſt de ligno illo S. crucis, quam Heraclius Imperator deuicto Coſdroa Perſarum Rege, ſecum tulit de Perſide, vna cum corpore S. martyris Anaſtaſij. Hæc porrò capſula eſt in altare eiuſdem Eccleſiæ marmoreo S. martyri Laurentio dicato. In quo ſunt etiam hæ reliquiæ: Brachium S. Cæſarij martyris: oſſa duo S. Ioannis Baptiſtæ: os vnum S. Hieronymi presbyteri Cardinalis: ſpatula S. Dionyſij Areopagitæ: os de crure S. Stephani Papæ, & martyris. Reliquiæ ſanctorum Damaſi papæ, Feliciani, Anaſtaſiæ, Agapes, Chioniæ, Irenes, Piſtis, & Elpis Virginum, Nerei, & Achillei, Priſcæ, & Aquilæ. Caput S. Praxedes: & de genu S. Tyburti, filij

Chro-

Chromatij Martyris. In hac eadem area cypreſſina eſt panis vnus cœnæ Domini, & XIII. lenticulæ eiuſdem cœnæ Domini. De arundine, & ſpongia cum aceto ad os Domini poſita, & lignum de ſicomoro vbi Zachæus aſcendit. Super hoc altare eſt imago S. Saluatoris mirabiliter in quadam tabula depicta, quam Lucas Euangeliſta deſignauit, ſed virtus Domini angelico perfecit officio: ſub cuius pedibus in quadam pretioſorum lapidum faſcia multę reliquiæ ſunt reconditæ, quarum hæc ſunt nomina: lapis in quo conſedit Maria Virgo: lapis Iordanis vbi Chriſtus ſedit, dum baptizaretur: lapis Betleem: lapis montis Oliueti, vbi Dñs orauit ad patrem: de lapide ſuper quo ſedit angelus ad ſepulchrum: de columna vbi Chriſtus fuit flagellatus: de ſepulchro Chriſti: de lancea, qua latus eius fuit perforatum: de ligno crucis: de loco, qui dicitur Lithoſtratos: de Caluariæ loco: S. Silex, vbi Chriſtus cõditus eſt: lapis de mõte Sion: lapis in quo Dñs transfiguratus eſt in monte: lignum de ſancto preſepe, vbi Chriſtus natus poſitus fuit: lapis de monte Sina, vbi lex fuit data: lapis de ſepulchro S. Mariæ. In alio quoque altare eiuſdem oratorij ſunt capita ſanctarum virginũ Hagnetis, & Euphemię. In tertio verò ſunt carbones aſperſi de adipe S. Laurentij. Sunt quoq; in eodem oratorio reliquiæ ſanctorũ quadraginta martyrũ, & mul-

multorum aliorum. Hæc porrò ſunt nomina reliquiarum, quæ ante quadringentos annos in oratorio Sancta ſanctorum enumerauit Ioannes Diaconus canonicus Lateranenſis, in libro quem de baſilica Conſtantiniana Alexandro papæ III. ſcripſit.

Reliquiarum verò, quæ hodie in eo oratorio extare dicuntur, index ſequens eſt, ex magna tabula aræ maximæ baſilicæ Lateranenſis affixa deſcriptus: In ſacello ſancta ſanctorum, quod S. Laurentij appellatur, in quod mulieres nunquam ingrediũtur, ſunt infinitæ reliquiæ, à Leone papa X. viſæ, & multis aſtantibus ex duabus feneſtrellis erutæ, & oſtenſæ, & iterum in eodem locatæ. In quarum prima à latere dextro, ſunt multæ reliquię in vaſis cryſtallinis, vitreiſq; compoſitæ. In ſiniſtra verò eſt caput humanum integrum cum alijs multis incognitis reliquijs. Supra altare eſt ornatiſſima imago S. Saluatoris acheropita in tabernaculo maximis ornamentis æneis, argenteis, & gemmis, margaritiſq; referta, cum multis aureis ſericeis cortinis à diuerſis pontificibus ibidem ad loci ornatum poſitis, quæ die XIIII. Auguſti in media baſilica Lateranen. populo adoranda exibetur: & quando ſolennis proceſſio Romæ fit, maximo cum honore, & reuerentia defertur ad baſilicam S. Mariæ Maioris. Sub altari verò eſt capſa cypreſſina multis clauibus clauſa à Leone III. Papa

fa-

facta, hiſq; literis aureis ornata: SANCTA SANCTORVM. intra quam ſunt aliæ plures capſulæ, & tabernacula reliquijs plena. In his parua capſula argentea deaurata ad modum crucis, in cuius medio eſt crux aurea. Item alia capſula argenta deaurata cum alia cruce auri puri. Item alia capſula argentea deaurata. Item alia capſula argentea cum modico ligni S. crucis. Item ſub ipſo altari eſt caput S. Anaſtaſij cum alijs multis ſanctorum oſſibus. Item alia capſula eburnea ad formam cucurbitæ. Item vas cryſtallinum cum parua arcula. Item alia capſula eburnea cum multis ſanctorum oſſibus. Item capſula argentea græco opere cælata, circumligata cordula alba cum ſigillo, in quo ſepultus eſt puer hamo piſcans, à Nicolao III. facta, in qua eſt caput S. Praxedis integrum, cum alijs multis ſanctorum oſſibus. Item capſula argentea ab Honorio III. facta, cum capite S. Hagnetis. Item alia capſula argentea cum ampulla plena ſanguine ſanctorum martyrum. Item alia arcula ad modum crucis plena reliquijs. Item vas æneum cum multis reliquijs. Item capſula ex ebano. Item duo lignea vaſcula. Pyxis lignea cum alijs plurimis ligneis vaſculis, & capſulis, & aliquot tabernaculis, & alijs vaſculis, pyxidibus, & arculis magno numero reliquiarum plenis. Item aliquot tubera è ſerico panno reliquiarum plena. Item duæ

vetu-

vetuſtiſſimæ tabulæ, cũm Apoſtolorum Petri, & Pauli figuris. Item multi panniculi ſanguine ſanctorum martyrum tincti. Item alia capſula lignea, in qua ſunt tres Agnus Dei è cera, & multæ ſine nomine reliquiæ. Item tres pãni albi cum oſſibus ſanctorum. Item pãnus bombacinus rubei coloris cum cruce ſigillatus. Item plures ſacculi, capſulę, arculæ, & pyxides reliquiarum plenæ, quarum nomina incognita ſunt. Hæc porrò ſunt, quæ de ędicula ſancta ſanctorũ inueni.

Precandi formula.

Ad ſancti Saluatoris imaginem, Pater noſter, Aue Maria. Oratio. Conditor cœli, & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, qui me de nihilo feciſti ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, & me de proprio ſanguine redemiſti, quem ego peccator nõ ſum dignus nominare, nec inuocare, nec corde cogitare. Te ſuppliciter deprecor & humiliter exoro, vt clementer reſpicias me ſeruum tuum nequam. Et miſerere mei, qui miſertus fuiſti Chananeæ, & Mariæ Magdalenæ: qui peperciſti Publicano, & latroni in cruce pendenti. Tibi confiteor peccata mea, pater pijſſime, quæ, ſi volo, abſcondere non poſſum tibi domine. Parce mihi Chriſte, quem ego nuper multum offendi in ſuperbia, auaritia, gula, luxuria, in vana gloria, in odio, in accidia, in adulterijs, in fornicatione, in furto, in mendacio, in blaſphemia,

mia, in ioco, in riſu, in verbis ocioſis, in auditu, in guſtu, in tactu, cogitando, loquendo operando. Et in omnibus modis, quibus ego fragilis homo & peccator peccare potui, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor tuam clementiam, qui de cœlo pro mea ſalute deſcendiſti, qui Dauid à peccati lapſu erexiſti, parce mihi Domine, parce mihi Chriſte, qui Petro te neganti pepercisti. Tu es creator meus, & adiutor meus, plaſmator, & redemptor meus gubernator, pater, domin⁹ Deus, & rex meus. Tu es ſpes mea, fiducia mea, gubernatio, auxiliatio, conſolatio, fortitudo, defenſio, & liberatio mea, vita, ſalus, & reſurrectio mea. Tu es firmamentum, & refugium meum, lumen & deſiderium meum adiutorium, & patrocinium meum. Te deprecor, & rogo, adiuua me, & ſaluus ero: guberna me, & defende me, cõforta & conſolare me, cõfirma & lætifica me, illumina & viſita me. Suſcita me mortuum, quia factura & opus tuũ ſuum: domine ne me deſpicias, famulus & ſeruus tuus ſum, quamuis malus, indignus, & peccator. Sed qualiſcunq; ſim, ſiue bonus, ſiue malus, ſemper tuus ſum. Ad quem ego fugiam, niſi ad te vadam? Si tu me eijcis, quis me recipiet? Si tu me deſpicis, quis me aſpiciet? Et recognoſce me indignum ad te refugientem, quamuis ſim vilis & immundus: quia ſi vilis & immũdus ſum, potes me

mundare: ſi cœcus ſum, potes me illuminare: ſi infirmus ſum, potes me ſanare: ſi mortuus & ſepultus ſum, potes me reſuſcitare: quia maior eſt miſericordia tua, quàm iniquitas mea: maior eſt pietas tua, quàm impietas mea: plus potes dimittere, quàm ego committere: & plus parcere, quàm ego peccator peccare. Non ergo me deſpicias domine, neq; attendas multitudinem iniquitatũ mearum, ſed ſecũdum multitudinem miſerationũ tuarũ miſerere mei, & propitius eſto mihi maximo peccatori. Dic animę meę, Salus tua ſum. Qui dixiſti, Nolo mortem peccatoris, ſed magis, vt viuat & conuertatur, conuerte me Dñe ad te, & noli iraſci contra me. Deprecor te, clementiſſimè pater, per miſericordiam tuam ſupplico, & exoro, vt perducas me ad bonum finem, ad veram pœnitentiam, puram confeſſionem, & dignam ſatisfactionem omnium peccatorum meorum. Amen.

De hoſpitalibus domibus Lateranenſibus.

Ioannes Colũna nobiliſſimus ciuis Rom. p̃sbyter Card. tt. S. Praxedes ante ann. ccc. & lx. ab Honorio III. PP. creatus hoſpitales domos ad Lateranum occidentem verſus, ſuis opibus cum magnis reditibus in alimenta peregrinorum egenorumque hominum, cum ſingulari pietatis laude primus ædificauit, quæ poſtea à diuerſis Romanis ponti-

fici-

ficibus,& Cardinalibus, Epiſcopisq; auctæ, & inſignibus prouentibus in dies in pauperum perpetuos vſus locupletatæ. Nunc ſancti Saluatoris hoſpitale vocatur, aliquot Romanorum ciuium cura, & protectione adminiſtratum, circum amplas ædes, & occidentem verſus ædiculam cum ara habet ad conſeruandam Euchariſtiam. In hoſpitali ſunt ſatis ampla cubicula, & conclauia, & multorum pro ægrotis lectulorum capacia. Poſt ædiculam meridiem verſus extant cuſtodum, & miniſtrorum hoſpitalis magnificæ ædes, quæ habent multas iuriſdictiones, & priuilegia à Romanis pontificibus conceſſa. Huius hoſpitalis cuſtodibus ciuibus Romanis cura etiam commiſſa eſt ædiculæ S. Laurentis, ſiue Sancta ſanctorum, in qua imago S. Saluatoris conſeruatur. Ibidē coquina, triclinium, aromataria, penus, & omnia ægrotis neceſſaria. Hyeme parantur pro infirmis ad CXX. lectuli, æſtate fere duplicantur pro maribus tantum: nam fœminæ ſeorſum in alio conclaui manent, ab maſculorū hoſpitali ſeparatæ in lectulis xxxii. qui & ipſi æſtate duplicantur ob maiorem ægrotantium numerum. In eo etiam ſunt medici, æditui, miniſtriq;, prior, & prioriſſa infirmorum, Xenodochij cuſtodes, guardiani duo. Mares à maribus, fœminæ à fœminis miniſtris ſeorſum mira pietate gubernantur. Ante hoſpitale ſeptentrio-

nem verſus, vltra formam aquæ Claudiæ, eſt cœmeterium, quem Campum Sanctum vocant, in quo ſepeliuntur, qui diem ſuum in hoſpitali obierint. Huius hoſpitalis ſocietas eſt nobilium Romanorum, ſub appellatione S. Saluatoris. Res eſt pijſſima, & Chriſtianis hominibus maxime digna: ibi enim pauperes omnes, & calamitoſi ægrotantes, ſumma cum pietate ſuſcepti, tractati, & curati, neceſſarijs omnibus, dum viuunt, ſubleuantur.

De quinta Eccleſia, & titulo S. Crucis in Hieruſalem. Cap. V.

Conſtantinum Imperatorem decẽ Eccleſias in vrbe, & ſuburbijs fabricaſſe, auctor eſt Damaſ⁹ papa in S. Silueſtri vita. Hę fuerunt. Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Lateranẽſis, S. Laurentij extra muros, S. Agnetis, SS. Marcellini, & Petri, S. Martini in Montibus: Oſtiæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Ioannis Baptiſtæ Albæ, S. Ioannis Baptiſtæ. Et hanc, de qua nobis ſermo eſt inſtitutus, ſanctæ Crucis in Hieruſalem, in antiqui atrij Seſſoriani (cuius adhuc multa veſtigia extant) parte, in imis eſquilijs prope amphitheatrum caſtrenſe. Quæ porrò cauſa fuerit huius baſilicæ conſtruendæ, breui aperiam. Cum religioſiſſimus Imperator Conſtantinus aduerſus Maxentium ty-

tyrannum, qui vrbis Romæ vi Imperium occuparat, bellum ciuile pararet, atque exercitum duceret, erat quidem iam religionis Chriſtianæ fautor, veriq́ue Dei venerator, patris Conſtantij pij Imperatoris exemplo permotus, quem Chriſtianorum ſtudioſum fuiſſe conſtat, nondum tamen, vt eſt ſolenne noſtris imitari, ſignum Dominicæ paſſionis acceperat. Et quum in eiuſmodi belli grauiſſimi cura pius Imperator verſaretur, animo ſecum euoluebat, quem nam (quod magis imperio ſuo neceſſarium eſſe exiſtimabit) ſibi Deum potiſſimum ad eam pugnam protectorem inuocaret, vel Romanorum veteres deos, vel ipſum Deum, quē Conſtantium patrem coluiſſe cognouerat, cuius beneficio cæteris Imperatoribus felicius, & proſperius omnia contigiſſent. Religioni enim Chriſtianæ admodum Imperator Conſtantius addictus fuerat, quanquam baptiſmi ſacramenta eum ſuſcepiſſe non conſtet. Conſiderabat enim optimus princeps, firmiori ſibi, & præſtantiori ad Imperium recte adminiſtrandum opus eſſe præſidio, quàm armati eſſent exercitus. In hac cogitatione dum ſuperiorum principum exempla ſingillatim examinaret, quorum alij alijs dijs freti, alij diuinationibus, & oraculis res proſperas pollicentibus confiſi, peſſimum fuiſſent vitæ finem ſortiti: Deum eum, quem pater ſuus Conſtan-

tius coluiſſet, atque Imperij cuſtodem, & fœlicitatis omnis auctorem expertus eſſet, colere ipſe quoque ſecum conſtituit. Ac ſtatim profuſis precibus Deum ipſum ardentiſſimè inuocare cœpit, vt ſe quis eſſet oſtenderet ſibi, manumqúe ſuam negotijs regni vt porrigeret obſecrat. Hæc autem oranti, ac indeſinenter eidem ſupplicanti diuinum quoddam oſtentum, ſummaqúe admiratione digniſſimum (quemadmodum ipſe poſtea narrare ſolebat) apparuit. Nam die quadam paulò poſt meridiem ſole iam declinante, dum anxius multa ſecum de imminentis belli neceſſitate prouoluẽs, ad cœlum ſæpius oculos erigeret, inde auxilium petens, ipſis dicebat oculis in cœlo ſuper ſolem crucis ſignum è luce adornatum, & conſtructum, ac ſcripturam additam ſe vidiſſe, ſic dicentem: *ἐν τούτῳ νίκα*, id eſt, IN HOC VINCE. Id quoq; à toto exercitu admirabundo, & ſtupenti viſum affirmabat. Quo miraculo attonitus, & cogitabundus, quum de eo quod viderat, plurima in animo volueret, eum nox apprehendit, in qua dormienti ſibi CHRISTVM vna cum crucis ſymbolo, quod in cœlo viderat, apparuiſſe, ac præcepiſſe dicebat, vt ſignum ſibi iuxta formã eius, quod in cœlo viderat, compararet, illoqúe contra hoſtiũ exercitus vexilli & ſigni loco vteretur. Hoc ab Imperatore audiuiſſe ſe iureiurando af-

firmari, Euſebius tradidit lib.1. de vita Conſtantini. Mox die exorto amicis congregatis totam rem aperit, quorum conſilio admonitus, Chriſti ſacerdotes ad ſe ſtatim accerſiuit, à quibus de Chriſti pietate, doctrina, & religione, item de ſigno quod ſibi apparuerat, adamuſſim inſtructus eſt. Illi enim de Deo patre, ac filio ſuo, de cauſis aduentus eius in carnem, accuratiſſimè eum inſtruxerũt: quare lætus, & de victoria iam ſecurus, id ſignum in ſua fronte primum deſignauit, deinde artificibus conuocatis, eius imaginem pinxit, præcepitque vt auro, & lapidibus pretioſis, gemmis, & margaritis, vnionibuſque exprimerent: ſignum autem, quemadmodum ex Conſtantini nummis intelligitur, ſic erat † vel ſic *. In quibus in eius rei memoriam circa id ſignum ſcriptum eſt: HOC SIGNO VICTOR ERIS. Illud porrò militaribus vexillis, & ſignis appoſuit, ac præcipuum totius imperij, & exercitus vexillum, quod labarum dicunt, in ſpeciem dominicæ crucis adaptauit. Quo ſalutari ſigno munitis ad bellum ciuile ſeparabat. Superatis autem Alpibus, firmiſſima propinquarum vrbium præſidia expugnauit. Triplici deinde prælio Maxentij copijs profligatis, Italiam omnem priſtinæ maieſtati aſſeruit. Quum autem ad Vrbem veniſſet, in qua ſe toties victus tyrannus con-

† 

* 

cluſerat, caſtra in pratis Quinctijs iuxta pontem Miluium è regione Vrbis locauit. Contra quem quum alio ponte naſſibus ſuper Tiberim paulò ſupra pontem Miluium de induſtria doloſè facto Maxentius exijſſet, atque pugna inchoata fugam ſimulans in Vrbe reuerteretur, per eundem pontem cum non ſine diuina virtute laxatis tabularum fibulis, nexibusq́ reſolutis, in dolum quem Conſtantino parauerat, ipſe incidit. Tiberis enim gurgitibus cum pleriſque ſuorũ ſatellitum abſorptus eſt, corpuſque thoracis pondere limo fixum, vix tandem reperiri potuit; atque ita Dei virtute, & ſalutaris ſigni opera Conſtantinus citra ciuilem ſanguinem, quod ſemper optauerat, egregia victoria potitus, Vrbem Romanam à ſæuiſſima atque immani tyrannide liberauit, Italiamq́ atque Africam ſuo adiunxit imperio. Statim autem vbi vrbem triumphans ingreſſus eſt, fauſtis acclamationibus S. P. Q. R. exceptus, qui à crudeli tyrãnide liberati paulum reſpirare cœperant, in curiam venit, omnesq́ oratione habita bono animo vt eſſent imperauit. Tum Deo liberatori gratias agens, imaginum quas ſibi ſenatus triumphales erexerat, dexteris, crucis ſignum figi iuſſit, & media vrbe ſalutare hoc ſignũ erecto tropheo locauit, omnibusq́ locis ſic inſcripſit: SALVTARI HOC SIGNO IMPERIVM RO-

ROMANVM CVSTODITVR. Confeſtim etiam ſublimem in Crucis formam haſtam conſtructam, manibus imaginis ſuæ eo loco vbi à tyranno hominum proſcriptiones, & publicationes bonorum fieri ſolebant, collocatæ fixit, & elogium hoc addidit:

Salutari hoc ſigno,
Tanquam veræ virtutis, &
Fortitudinis argumento,
Vrbem veſtram iugo tyranni ereptam
Liberaui. S. P. Q. R.
Auctoritati priſtinæ dignitatiq; reſtitui
Imp. Caſ. Fl. Conſtātinus max. P. F. Auguſt⁹.

Senatus verò in eius rei memoriam eximiæ ſtructuræ arcum in ſubura ſub palatij radicibus verſus montem Cœlium conſtruxit, eiq; cum hoc elogio dedicauit:

Imp. Cæſ. Fl. Conſtantino Maximo
P. F. Auguſto, S. P. Q. R.
Quod inſtinctu diuinitatis mentis
Magnitudine cum exercitu ſuo
Tam de tyranno, quàm de omni eius
Factione vno tempore iuſtis
Rempub. vltus eſt armis,
Arcum triumphis inſignem dicauit.

Ob hanc cauſam, haud longè poſt Nicænum magnum concilium, Helena Auguſta Conſtantini mater diuinis monita viſionibus, beatiſſimū crucis lignū, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam repe-

 rit,

rit. De qua re quid Rufinus libro primo, capite VIII. Socrates libro primo, capite decimoſeptimo, Theodoritus libro primo, capite decimooctauo, Sozomenus libro ſecundo capite primo, Ambroſius in oratione funebri Theodoſij, ſcripſerint, breuiſſimè explicabo. Helena Imperatoris Conſtantini mater, cuius gratia Imperator Drepanum Bithiniæ vicum, ciuitatis iure donatum, Helenopolim appellauit, matrona fide, religione, & magnificentia ſingularis, pro filij ſalute anxia, oraculo in ſomnis admonita, Hieroſolymam precandi gratia profecta eſt. Tum loca, in quibus ſacroſanctum CHRISTI corpus crucifixum & ſepultum fuerat, ab incolis diligentiſſimè perſcrutari cœpit. Acceſſit Chriſtianiſſima mulier, vt inuiſeret loca ſancta. Infudit ei Spiritus ſanctus, vt locum, in quo lignum crucis erat, perquireret. Quid idcirco inuentu difficilis erat, quòd ab antiquis Chriſtianæ fidei hoſtibus nulla ſancti loci memoria conſeruata, eo paululum profundiore magnis altiſq́ue aggeribus repleto, ibidem templum cum ſimulachro Veneris fuerat defixum, vbi virgineis cantibus inſultare CHRISTO ſolebant, & ludia fabricata fuerant, totuſq́ue reſurrectionis Dominicæ, & Granij locus maxima lapidum, & murorum congerie fuerat ſtratus, vt omnis religionis noſtræ memoria, quæ

tum

tum primum germinare cœperat, funditus aboleretur, vel, vt ſi quis Chriſtianus eo loci Chriſtum adorare voluiſſet, Venerem videretur adoraſſe, & propterea infrequens, & pene obliuioni datus fuerat locus, cum Chriſtiani nec illò proficiſci, nec alijs indicare auderent, & contrarium in gentili cultu, & ſtatu confirmaretur. Sed cum (vt ſupra dixi) religioſa fœmina properaſſet ad Gelgothæ locum, cuiuſdam Hebræi indicio, quem Iudam vocatum ſcribunt (is eum ex paterno quodam ſcripto manifeſtauit) vel, quod magis exiſtimo, cœleſti ſibi indicio deſignatum, ait: Ecce locus pugnæ, vbi eſt victoria. Quæro vexillum ſalutis, & non inuenio. Ego (inquit) in regnis, & crux Domini in puluere. Ego in aulis, & in ruinis CHRISTI triumphus. Cuncta igitur ex eo loco profana atque polluta cum Veneris templo deijciens, aperit humum, & ruderibus altè egeſtis, Dominicum ſepulchrum, terra diu opertum, apparuit, & iuxta illud tres confuſo ordine cruces repertæ, quas inimicus abſconderat, ruina contexerat, vnam CHRISTI, duas latronum, qui cum eo crucifixi ſunt. Sed non potuit obliterari Chriſti triumphus. Incerta erat Helena (vt mulier) ſed certam indagationem diuinum numen inſpirabat. Quærit ergo medium lignum, ſed poterat fieri vt

pa-

patibula inter ſe ruina confudiſſet, caſus mutaſſet,& inuertiſſet. Redit ad euangelij lectionem, inuenit, quod in medio patibulo Latinis, Græcis, & Hebraicis literis à Pilato præfixus titulus fuerat, I. N. R. I. Hinc collecta eſt ſeries veritatis, titulo crux patuit ſalutaris. Inuenit ergo titulum, Regem adorauit, non lignum vtique, quia hoc Gentilis eſt error, & vanitas impiorum: Sed illum adorauit, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo. Ita Ambroſius. Sed Rufinus, qui Ambroſij tempore vixit, & qui ab eo acceperunt, Socrates, Sozomenus, Theodoritus, in cæteris quidem cum Ambroſio conſentiunt: cæterum in eo diſcrepant, quòd quum reperti muneris lætitiam vniuſcuiuſq; crucis indiſcreta proprietas obturbaſſet, titulus enim à cruce auulſus, & cruces ipſæ hincinde ſine ordine ſparſæ atque proiectæ, dominici patibuli ſigna prodere non poterant, & diuinum lignum adhuc obſcurum erat, quod pretioſi ſanguinis ſtillicidia excepiſſet: Macarius tum eius vrbis epiſcopus, ad humanæ ambiguitatis incertum, & dubium exprimendum, diuinum teſtimonium efflagitauit, & obtinuit, quod eiuſmodi fuiſſe referunt. Fortè accidit in eadem vrbe, primariam quandam illius loci matronam graui ægritudine confectam ſemianimẽ in lecto iacere. Tunc epiſcopus vbi cunctantem Auguſtam, atque

omnes pariter qui aderant, videt, Afferte (inquit) huc tres quæ repertæ fuerunt cruces, & quæ ſit quæ Dominum tulit, nunc ipſe nobis huius mulieris ſanitate oſtendet, & cum Imperatrice, & comitibus ad eam, quæ decumbebat, ingreſſus, flexis genibus huiuſmodi ad Deum preces effudit: Tu Domine, qui per vnigenitum filium tuum ſalutem generi humano per paſſionem crucis conferre dignatus es, & nunc in nouiſſimis temporibus adſpiraſti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo ſalus noſtra pependit, oſtende euidenter ex his tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterit ad ſeruile ſupplicium, vt hæc mulier quæ ſemiuiua decumbit, ſtatim vt eam lignum ſalutare contigerit, à mortis ianuis reuocetur ad vitam. His dictis adhibuit primo vnam ex tribus, & nihil profecit, adhibuit ſecundam, & ne ſic quidem aliquid factum eſt, vt verò tertiam admouit, repente adapertis oculis mulier ſurrexit, & ſtabilitate virium recepta alacrius multò quàm cum ſana fuiſſet, tota domo diſcurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. Sic euidenti indicio Auguſta voti compos facta, templum maximum & nobiliſſimũ in eo loco, in quo crucẽ repererat, Imperiali excellentia conſtruxit, quod Dominicæ reſurrectionis, ac nouam Hieruſalem exaduerſo veteris, & deſertæ conſtitu-

tam

tam vocauit. Cæterùm Seuerus Sulpitius Sozomenus libro II. capite 1. & Nicephorus libro VIII. cap. XXIX. crucem mortuo cuidam impoſitam ipſum excitaſſe à mortuis ſcribunt. In ijſdem etiam regionibus tam pius Imperator, quàm eius mater Helena, magnificentiſſima templa exædificarunt. Hieroſolymis quidem in loco Cranij S. Saluatoris, & Theophaniæ templa Conſtantinus, apud Bethleem Natiuitatis in memoriā Dominici Natalis, & in monte Oliuarum Aſcenſionis Helena condidere. Ex cruce porrò dominica ſanctiſſima Auguſta tres partes fecit, quarum vnam argenteis thecis incluſam, vnà cum titulo Romam miſit, & in Baſilica Sanctæ Crucis in Hieruſalem in atrio Seſſoriano prope amphiteatrū caſtrenſe in Eſquilijs per hæc tempora condita, locauit: alteram Hieroſolymorum epiſcopo cuſtodiendam eo in loco dereliquit, quæ ad memoriam ſalutis, & eam illic viſere volentium, ibidem vſque ad Heraclij tempora ingenti veneratione ſeruata eſt: tertiam porrò ad filium miſit Conſtantinopolim, quam ille acceptam, credens eam ciuitatem fore ſaluam, vbi portio crucis aſſeruaretur, in ſua ipſius ſtatua condidit, quæ Conſtantinopoli in foro quod Cōſtantini dicitur, in porphyretica, & magna columna conſiſtebat, quod apud Conſtantinopolim habitatores pro certo ſemper ha-
bi-

tũ fuit. Adijcit Nicephorus aliã crucis portionẽ à Conſtãtino in Columna marmorea in ἀρτοπολιω,hoc eſt foro panario collocatũ, cui⁹ virtute multi ſanitatẽ amiſſam recuperarint. Hæc porrò crucis portio,q̃ Conſtantinopoli fuit,cũ ea q̃ inuaſiõis Coſdoris Perſarũ Regis tẽpore amiſſa,ab Heraclio Imperatore recuperata fuit, & deinde Conſtantinopolim ex Hieroſolymis tranſlata, diu in ea vrbe, ſcilicet, vſq; ad Turcarũ tyrannidẽ permanſere. De hoc ligno veterẽ Sybillam prophetaſſe ſcribunt,quũ cecinit: O ter beatũ,& feliciſſimũ lignũ,in quo Deus extenſus eſt. Inuẽta cruce Imperatrix,& clauos,quibus crucifixus eſt Dñs,inuenit. Ex vno clauorũ frænum equi filij ſui fieri præcepit, alterũ diademati ſiue galeæ filij, quibus vteretur ad bellũ,intexuit,vnum ad decorẽ,alterũ ad deuotionem vertit. Miſit Cõſtantino filio diadema ſiue galeam gemmis inſignitam, q̃ pretioſior ferro innexa crucis redemptionis gẽma connecteret.Miſit & frænum. Vtroq; vſus eſt Conſtãtinus. Et fidẽ tranſmiſit ad poſteros reges. Galea quidẽ ad capitis præſidiũ,& hoſtiũ tela repellenda: Fræno verò vt ſibi protectorẽ Deum pararet,& vetus Zachariæ vaticiniũ expleret,quod dixit: Et quod in frænis fuerit,ſanctum erit domino omnipotenti. Tertius porrò clauus in mare Hadriaticum (vt D. Ambroſius ait) deiectus eſt ad compeſcendas ſæuientis maris procel-

cellas. Reliquit demum hoc veræ pietatis indicium religioſa Imperatrix: virgines enim, quas ibidem Deo ſacratas reperit, ad prandium inuitauit, & tanta eos deuotione curaſſe dicitur, vt indignum crederet, ſi famularum Dei vteretur obſequijs: ſed ipſa manibus ſuis ancillæ habitu ſuccincta cibos apponeret, pocula ſingulis porrigeret, & aquam manibus infunderet, & orbis terrarum Regina, Imperatoris mater, Cæſarum auia, famularum Chriſti ſe ancillam deputarit. Multa demum eccleſijs, & pauperibus largita octuageſimo ætatis anno bona ſenectute in Domino quieuit. Corpus Romam veterem delatũ nobiliſſimi operis porphyretico mauſoleo in æde SS. Marcellini, & Petri, via Lauicana, vt ex Damaſo tradit Bibliothecarius, Imperatoris iuſſu conditum eſt. Qui poſt dominicæ crucis inuentionem, crucis ſupplicium lege vetuit. Et hæc quidem Hieroſolymis ſic geſta fuiſſe, quos ſupra citaui ſcriptores prodidere. Cæterùm (vt dixi) Dominicæ crucis partem Helena ipſa Romam miſit, quæ in hac ipſa baſilica conſeruata eſt. De cuius ſanctiſſimæ crucis charactere non alienum erit ſubijcere, quæ veteres auctores ſcitu digna memoriæ prodiderunt. Rufinus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 1. capite xxix. Sed & illud (inquit) apud Alexandriam geſtum eſt, quòd etiam thoraces Seraphis,

qui

qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam, ac feneſtris erāt, ita abſciſſi ſunt omnes, & abraſi, vt ne veſtigium quidem vſquam, vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cuiuſlibet alterius dæmonis remaneret. Sed pro his, crucis Dominicæ ſignum vnuſquiſq; in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſq́ue depingeret. Quod cùm factum eſſe hi qui ſuperfuerant ex Paganis, viderent, in recordationem rei magnæ, ex traditione ſibimet antiquitus commendatæ veniſſe perhibentur. Signum hoc noſtrū Dominicæ crucis inter illas, quas dicunt Ieraticas, id eſt, ſacerdotales literas, habere Ægyptij dicuntur, velut vnum ex cæteris literarum, quæ apud illos ſunt elementis. Cuius literæ fere vocabuli hanc eſſe aſſerūt interpretationem: Vita ventura. Dicebant ergo hi, qui tunc admiratione rerum geſtarum conuertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditum, quod hæc quæ nunc coluntur, tamdiu ſtarent, quamdiu viderent ſignum iſtud veniſſe, in quo eſſet vita. Vnde accidit, vt magis hi qui erant ex ſacerdotibus, vel miniſtris templorum, ad fidem cōuerterentur, quàm illi quos errorum præſtigiæ, & deceptionum machinę delectabāt. Eandem rem ita commemorat Socrates hiſtoriæ Tripartitæ lib. IX. cap. XXIX. cumque templum Serapidis ſpoliaretur, inuentæ

R ſunt

ſunt literæ in lapidibus ſculptæ, quæ apud Ægyptios vocantur ſacræ. Habebant ipſi characteres figuram crucis. Hoc Chriſtiani videntes atque Pagani, ſinguli eorum hoc ſignum religioni propriæ deputabãt. Chriſtiani dicebant, ſignum eſſe ſalutiferę paſſionis Chriſti. Pagani verò aliquam communionem CHriſto, & Serapidi per hoc ſignũ aſſerebant. Interpretes autem ſignum crucis inſinuare dicebant vitam ſuperuenturam, quam ob cauſam Chriſtiani ad ſummum faſtigium ſunt euecti. Cumque per alias literas, quę apud eos ſacræ dicuntur, indicaretur finem habiturum, Serapidis templum quando character crucis apparuiſſet, qui vitam ſuperuenturam ſine dubio declararet, longè plurimi ad Chriſtianiſmum feſtinabant, & peccata confitentes baptizabantur.

Hanc porrò baſilicam ſanctæ Crucis in Hieruſalem, à ſancto Sylueſtro decimotertio Kalendas Aprilis dedicatam, Conſtantinus Imperator his redditibus & ornamẽtis donauit: Agri omnes baſilicæ vicini, quos Imperator Conſtantinus eidem Eccleſiæ largitus eſt. Poſſeſſio ſponſas via Labicana, præſtans ſolidos ducentos ſexagintatres. Poſſeſſio Patras apud Laurentum, præſtans ſolidos CXX. Poſſeſſio Angleſis, apud Nepet, præſtans ſolidos CCL. Poſſeſſio Terega apud eandem ciuitatem, præ-

ſtans

ſtans ſolidos CLX. Poſſeſſio Nymphas in Faliſcis, præſtans ſolidos CXV. Poſſeſſio quam Hercules donauit Conſtantino Imperatori in Faliſcis, præſtans ſolidos CXL. Ornamenta eiuſdem baſilicæ: Theca aurea gemmis ornata, qua ligni S. Crucis pars continebatur. Altare argenteum librarum CCL. Phara canthara argentea L. ſingula librarum XV. Quatuor candelabra argentea ante lignum ſanctum lucentia, ſingula librarum LXXX. Amæ argenteæ tres, ſingulæ librarum XX. Scyphus aureus librarum X. Scyphi argentei III. ſinguli librarum VIII. Calices aurei miniſteriales V. ſinguli librarum V. Calices argentei miniſteriales X. ſinguli librarum V. Patena argentea auro clusa cum gemmis librarum L. Baſilica ſanctæ crucis more aliarum facta medianã nauem, & duas minores alas habet XII. columnis magnis ſubſtentatas: ante ſe habet veſtibulum cum porticu, pauimentum teſſellatum: laquearia lignea deaurata à Petro Mendocio Archiepiſcopo Toletano eiuſdem tituli presbytero facta, quando is totam Eccleſiam renouauit. Sex in ea ſunt altaria, præter aram maximam, inſigni marmoreo operculo, & concluſa è lapide Lydio, in qua iacent corpora ſanctorum Cæſarij, & Anaſtaſij martyrum, ornata. Operculum è tabulis; & columellis marmoreis fecit ante CCCC. annos Vbal-

dus preſbyter Cardinalis huius tituli. Abſida pulcerrimis picturis condecorata eſt, Inuentionis, & Exaltationis S. Crucis. Duo extant ex vtraque abſidæ parte mœniana, oſtendendis reliquijs apta, ſub quibus totidem oſtia ſunt ad ſacellum ſubterraneũ S. Helenæ ducentia, de quo mox dicam. Extat ibidem eiuſmodi diuæ Helenæ inſcriptio, aliæ ſimilis, quæ Neapoli eſt.

Romæ.

DOMINÆ NOSTRÆ FL. IVL.
HELENÆ. PIISSIMÆ. AVG.
GENETRICI. D. N. CONSTAN-
TINI. MAXIMI. VICTORIS.
CLEMENTISSIMI. SEMPER
AVGVSTI. AVIÆ. CONSTAN-
TINI. ET. CONSTANTIS. BEATIS-
SIMORVM. AC. FLORENTIS-
SIMORVM. CÆSARVM.
IVLIVS. MAXIMILIANVS. V. C. COMES
PIETATI. EIVS. SEMPER. DEDICATISS.

Neapoli.

PIISSIMÆ. AC. VENERABILI.
DOMINÆ. NOSTRÆ. HELENÆ
AVGVSTÆ. MATRI
DOMINI. NOSTRI. VICTORIS,
SEMPER. AVG. CONSTANTINI. ET
AVIÆ, DOMINORVM. NOSTRORVM.
BEATISSIMORVM. CÆSARVM.

ORDO, ET POPVLVS NEAPOLI-
TANVS.

Gregorius III. (vt auctor eſt Bibliothecarius) Hieruſalem Eccleſiam ſanctam reſtaurauit, collapſum tectum eius refecit, porticus circumquaque vetuſtate quaſſatas trabibus de Calabria adductis cooperuit, ac reparauit, & ambonem marmoreum ibidẽ fecit, quod noſtro tempore dirutum eſt, eamq́ue diuerſis ornamentis aureis, argenteis, ſericis, & linteis auxit. Xyſtus III. & Symmachus Papæ pro tuenda ſua innocentia, quum ab æmulis accuſati eſſent, duo epiſcoporum magna Concilia in ea celebrarunt, vt ex primo Conciliorum tomo liquet. Benedictus VII. vt ex eius elogio marmoreo paraſtatæ affixo intelligitur, in ea ſepultus eſt. Is baſilicam hanc, & monaſterium renouauit, monachos ad paucos redactos in ea reſtituit, ampliauit. Priſcis enim temporibus clerici eam incoluerant: poſtea antiquæ monachorũ ſodalitati conceſſa eſt. Leo IX. Papa diuino officio deſtitutam monachorum Caſinatum Abbati Richerio donauit. Alexander II. eam ijs abſtulit, & monaſterium ſanctorum Sebaſtiani, & Zoſimi martyrum, quod Pallaria dicebatur, retrò hortos S. Mariæ Nouæ verſus amphitheatrum, eius loco ijſdem conceſſit: in ea verò canonicos regulares cõgregationis S. Fridiani Lucenſis ab ſe Laterani etiam reſtitutam, locauit: qui eam vſque ad Clementis VI. tempora tenuerunt, ampliſſimo hoc priuilegio à Ro-

manis pontificibus ornati, vt presbyterum Cardinalē tituli ſui ex ſuo corpore crearēt: quod & Diacono Cardinale S. Mariæ Nouæ eius diaconiæ canonicis conceſſum fuerat. Ex hoc canonicorū monaſterio multi Cardinales eximij, & Lucius II. papa prodierunt: qui cùm ante pontificatum eius Eccleſiæ presbyter Cardinalis eſſet, pontifex creatus totam ipſam Eccleſiam, & canonicorum clauſtra à fundamentis renouauit. Sed & Innocentius VII. ac Marcellus II. ex eo titulo ad pōtificatum aſſumpti ſunt. Cæterùm Canonicis regularibus deficientibus, eam Eccleſiā Vrbanus V. patribus Carthuſianis donauit, vt ex hoc eius diplomate liquet.

Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei ad æternam rei memoriam. Sedis Apoſtolicæ gratioſa benignitas illorum pia, & Deo grata opera, per quæ cultus diuini nominis augetur, libenter fauore Apoſtolico proſequitur, & ſup hoc prout expedire conſpicit, auxilijs etiā prouidet opportunis. Nuper ſiqdem accepimus, quod olim dilectus filius nobil. vir Nicolaus Nolanus, & quōdā Neapoleo de Vrſinis Manupelli comites, quōddam monaſteriū Carthuſiēſis ordinis in vrbe, in loco qui dicitur Thermæ Diocletiani de ſedis Apoſtolicæ licentia ędificare diſpoſuerunt, iam ſunt plures anni elapſi, & quod huiuſmodi diſpoſitione ſic ſtāte prædictus

Comes Manupelli, condens de bonis ſuis in ſua volũtate vltima teſtamentũ in eodẽ pio monaſterio dicti ordinis ſic ędificãdo in loco prędicto, certã pecuniæ quãtitatẽ vſq; ad certũ tẽpus tũc expreſsũ, annuatim ſoluendam, nec nõ ꝓ male ablatis incertis quingẽtos florenos auri legauit, & quoddã aliud legatũ ꝓ huiuſmodi monaſterio ſic in pfato loco cõſtruẽdo fecit, quæ omnia ad ſummã triũ milliũ florenorũ auri aſcendere dinoſcuntur: quodq; poſtmodũ prædicti comites ſup ædificatione dicti monaſterij ſanius habẽtes cõſiliũ, deliberarũt ipſum monaſteriũ in loco S. crucis in Hieruſalẽ de dicta vrbe conſtruere, ac huiuſmodi deliberatione ſic ſtãte, & in opere nõ poſita, prædictus comes Manupelli prædicto teſtamẽto nõ mutato, naturã fuit vniuerſæ carnis ingreſſus, ac deinde idẽ comes Nolanus huiuſmodi monaſteriũ prędicti ordinis in dicto loco S. crucis de noſtra licẽtia ædificare incepit, opere nõ modicum ſumptuoſo. Nos igitur præmiſſa plurimũ in Dño cõmendantes, volumus, & auctoritate Apoſtolica tenore pręſentiũ ordinamus, quod huiuſmodi legata p dictum comitẽ Manupelli ꝓ monaſterio in dicto loco q Thermæ Diocletiani dicitur ædificãdo facta, prædicto monaſterio in dicto loco S. crucis ſic inchoato, ꝓ eo perficiendo, & dotando, dari debeant atq; dentur: & inſuper id quod de legato huiuſmodi ad nos tam-

quam ad ordinarium dictæ vrbis pertinet, pro ædificatione, & dotatione huiuſmodi damus, & etiam deputamus de gratia amplior i.

Datum apud montem Flaſconem X. Kal. Auguſt. Pont. noſtri anno octauo.

Pius IIII. quod Vrbani V. Papæ tempore agitatum fuerat executus, Eccleſiam S. Mariæ angelorum in Thermis Diocletiani ab ſe excitatam patribus Carthuſianis largitus eſt, baſilicam verò S. Crucis congregationi Lombardię ordinis Ciſtertienſis ex S. Sabbę monaſterio pulſæ conceſſit, quæ eam adhuc poſſidet.

De ſancto Sacello Hieruſalem dicto.

Sub ara maxima baſilicæ S. Crucis retrò abſidam, eſt oratorium ſubterraneum S. Helenæ, ad quod duobus oſtijs deſcenditur, ex vtroque tribunæ latere reſtitutum, & muſiueis ſignis ornatum à Bernardino Cardinal. Caruaial. In quo muſiueis litteris eiuſmodi res memoratu dignæ annotatæ ſunt.

Sacra capella dicta Hieruſalem, quòd beata Helena Magni Conſtantini Imperatoris mater Hieroſolymis rediens, circiter annũ Domini CCCXXV. Dominici trophæi inſignijs repertis, in proprio eam cubiculo erexerit, terraq́; ſancta montis Caluariæ naui inde adducta, ſupra quam Chriſti ſanguis effuſus fuit redemptionis humanæ preciũ, cuiuſ-

cuiuſque vigore in cœleſtem Hieruſalem mortalibus aditus patuit,ad primum vſque inferiorem fornicem repleuerit, ex quo ſacellum ipſum,ac tota baſilica, & vniuerſa vrbs ſecunda Hieruſalem meruit appellari, apud quam & Dominus ad illius robur fidei in Petro iterum crucifigi voluit,vbique vnius Dei veneratio, ac fides indeficiens,& Domini precibus, & Petri fauore ad vltimum vſque iudicantis Domini aduentum in vrbe ſublimi,& valente, ac inde veriore Hieruſalem creditur permanſura.Hunc ergo locum Regina ipſa multis Chriſti,& ſanctorum reliquijs ornauit, & à beato Syluestro XIII.Kal. Aprilis cum multiplici peccatorum venia viſitantibus indulta conſecrari obtinuit. Inde centum ferè labentibus annis,Placidius,Valentinianus III.Imperator,filius Conſtantij Cęſaris,Arcadij,& Honorij Imperatorum ſororis Placidiæ filiæ Magni Theodoſij filiꝰ, in ſolutionē voti ſui, ac ſuæ matris Placidiæ, & Honoriæ ſororis, opere vermiculato eā exornauit.Inde quaſi mille centum annis euolutis, Titulus veræ crucis ab Helena Romam delatus, qui ſupra arcum maiorem iſtius baſilicæ in parua feneſtra plumbea theca muro lateritio clauſus tamdiu latuerat,muſiuis tamē litteris ab extra id referentibus, quod illic titulus ſtaret, quæ iam litteræ præ vetuſtate vix legi poterant,ſedente Innocentio VIII. pientiſ-

ſimo pontifice anno Domini M. CCCCL-XXXXII. Pontificatus ſui anno octauo, cùm Petrus Gudiſaluus de Mendoza presbyter Cardinalis tt. S. Crucis in Hieruſalem, Toletanus primas, tectum baſilicæ iſtius, & muſiuas illas litteras feneſtræ reparari faceret, fabris bitumen quo litteræ figebantur, indiſcretè diruentibus, aperto feneſtrę foramine, contra eorum, & Cardinalis beneplacitum glorioſus titulus veræ crucis poſt tot annos ab Helena viſibilis apparuit. Quo die Granata à Ferdinando Hiſpaniarum Rege Catholico de Mahumetanis recuperata, & Romæ tunc nunciata. Qua re pontifex magna cum proceſſione ad Eccleſiam S. crucis venit; addita indulgentia magna die anniuerſario illius ſolennitatis. In altero parietis latere, vetuſtate murorum fornice ſacelli iſtius Hieruſalem ruinā minante, & muſiuis figuris operis Valentiniani, præter canticum Ambroſianum, quod in fronte deſcriptum fuit, omnino deletis: Bernardinus Lupi Caruaial Epiſcopus Hoſtienſis S. R. E. Cardinalis tt. S. crucis in Hieruſalem, Patriarcha Hieroſolymitanus, & fornicem ipſum, ac figuras muſiuas denuò ad inſtar priorum refecit. Intra ipſam quoque maiorem baſilicam, quę primus Cardinalium eſt titulus, diuerſa altaria nonnullis S. R. E. Cardinalibus in cathalogo ſanctorum annumeratis erexit atque dicauit, clau

ſtrumqúe paruum, & magnum, intra domum ipſam patrum Carthuſienſium, chorum'q; inſtituit maioris baſilicæ, & vtrumq; deſcenſum.

In facie verò baſilicę verſus orientem, vbi ſacratiſſimum corpus D. N. IESV CHriſti ſub vario ac mirabili opere ſeruatur, huiuſmodi ſculpta leguntur: Franciſcus Quignonius tt. S. crucis in Hieruſalem S. R. E. presbyter Card. natione Hiſpanus, patria Legionenſis, ſanctiſſimo CHriſti corpori dicauit, Anno M. D. XXXVI. Kal. Iulij.

CARTHVS. MONVMEN. HOC. POS.

Bartholomęus à Cueua tt. S. crucis in Hierusalem presbyter Cardinalis, natione Hiſpanus, gradus quibus ad maius altare conſcenditur, baſilicæque totius pauimentum, feneſtris inſuper vitreis additis, in melius reſtituit.

De inuentione tituli Crucis D. N. IEſu Chriſti Alexandri VI. Papæ Bulla.

Alexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei: Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes inſpecturis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Admirabile ſacramentum viuificę crucis, cuius ſignũ erit in cœlo dum Dominus ad iudicandũ venerit, intra noſtræ mentis arcana reuoluentes, & pia cõſideratione penſantes, quòd in ligno eiuſdẽ ſanctiſſimæ crucis Dñs noſter IESVS CHriſtus pro humani

mani generis ſalute mortem ſubire nõ abnuit, vt nos de morte ad vitam reuocaret: dignum imò potius debitum reputamus, Eccleſias & loca ſub ipſius ſanctiſſimæ crucis nomine dedicata, & præſertim in vrbe conſiſtentia, gratioſis indulgentiarum & remiſſionum muneribus decorare, vt per hoc & tanti ſacramenti iugis memoria in mentibus CHriſti fidelium permaneat, & ipſi CHriſti fideles, ipſius Domini gratia eos præueniente, felicitatis premia conſequi mereantur æterna. Cùm itaque nuper, videlicet anno à Natiuitate eiuſdem Domini noſtri IESV CHriſti milleſimo quadrigenteſimo nonageſimo ſecundo, vltima Dominica menſis Ianuarij, dum bo. me. Petrus tt. S. Crucis in Hieruſalem Cardinalis, qui tũc in humanis agebat, eandem Eccleſiam digno ornatu reparari faceret, in altiori pariete teſtudinis dictæ Eccleſiæ repertus fuerit titulus Hebraicis, Græcis, & Latinis literis conſcriptus, & qui ſupra caput ipſius D. N. IESV CHriſti, dum in ligno eiuſdem S. crucis pendebat, appoſitus extitit, & ipſe titulus nunc in eadem Eccleſia debita cum veneratione obſeruetur, & cuſtodiatur: Nos in cruce huiuſmodi ſancta cum Apoſtolo gloriantes, & ſatagentes alios ad glorificationem ipſius inuitare, vt vitalis ligni pretio vitæ æternæ ſuffragia conſequantur: ac cupientes, vt Eccleſia prædicta, quæ nunc titu-

titulus dilecti filij noſtri Bernardini eiuſdẽ Eccleſiæ ſanctæ Crucis in Hieruſalem preſbyteri Cardinalis exiſtit, congruis frequentetur honoribus, & ipſi CHriſti fideles eo libentius deuotionis cauſa ad eandem Eccleſiam confluant, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe refectos, De omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis CHriſti fidelibus vtriuſq; ſexus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in vltima Dominica menſis Ianuarij cuiuſlibet anni, à primis veſperis vſque ad occaſum Solis ipſius Dominicę deuotè viſitauerint, annuatim omnium peccatorum ſuorum remiſſionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & elargimur, præſentibus, perpetuis, futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, eadem die per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius ſint roboris vel momenti. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicę quilleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, quarto Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto. Signat. L. Maius. A tergo Volaterranus. Cum ſigillo plumbeo.

Multæ certiſſimæ & admodum memoratu venerationeq́ dignæ ſunt in hac baſilica reliquiæ, quarum breuem indicem ſubijciam. In altari maiori in concha è lapide Lydio iacent corpora SS. Cæſarij, & Anaſtaſij martyrum. In oratorio ſupra abſidam, tres fruſtulæ è ligno crucis D. N. IEſu Chriſti. Pars tituli crucis Chriſti cum litteris Latinis, Græcis, Hebraicis. Vnus ex clauis, quo Chriſtus cruci affixus fuit. Duæ ſpinæ è corona eiuſdem. Vnus ex triginta argenteis, quo venditus fuit. Tranſuerſæ crucis pars boni latronis. Digitus S, Thomæ Apoſtoli. Quę omnia argenteis thecis incluſa ſunt. In eodem oratorio eſt arcula reliquiarum plena cum hoc indice: Lapis ſepulchri Chriſti. De mõte Caluario. De ſepulchro beatæ Virginis. De loco, vbi Chriſtus aſcendit in cœlum. De loco vbi crux Chriſti reperta fuit. De capite ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Clementis Papæ, & Praxedis virginis. De cute cum capillis S. Catharinæ Senenſis. Dentes ſanctorum Petri Apoſtoli, & Gordiani martyris. De coſta S. Laurentij martyris. De dorſo S. Blaſij Epiſcopi. De genu S. Gordiani martyris. De oſſibus ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Bartholomæi, & Simonis Apoſtolorum, Innocentum, Fabiani, Sebaſtiani, Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, Hippolyti, Agapiti, Epiphanij, Feliciſſimi, Chryſogoni, Dionyſij, & ſociorum, Mariæ Magdale-

dalenæ, Anaſtaſię, Pudentianę, Agnetis, Euphemiæ virginum & martyrum. Item reliquiæ ſanctorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ: Iacobi Apoſtoli fratris Domini, Vrbani, & Xyſti II. pontificum: Coſmæ, & Damiani martyrum, Nicolai Epiſcopi, Sabini, Reguli, Nerei, Hermetis martyrum: Benedicti, & Hilarionis Abbatum: S. Helizabeth Reginę, S. Brigidę virginis, ſanctorum Iulianæ, Feliculæ, Catharinæ, & Margaritæ virginum, & martyrum. Item aliæ CXXXVII. thecæ reliquiarum ſanctorum, quorum nomina ob vetuſtatem ignorãtur. In eius thecæ medio eſt imago CHriſti muſiuea, quam fuiſſe S. Gregorij PP. ferunt.

In ſacello S. Helenæ ſubterraneo, quod XX. die Martij tantum mulieres ingrediuntur, ſunt hæ reliquię. Funis, quo Chriſtus alligatus fuit. Spongia, qua felle & aceto poſtatus eſt. Fruſtum eius veſtis. Capilli & pars veli B. Virginis. Veſtis S. Ioannis Baptiſtæ. Pars lacerti. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. De adipe S. Laurentij.

Sub pauimento, quod Eugenius IIII. refecit, multa rudera extant è monte Caluario tranſportata.

In hoc altari nemo ſine papæ licentia ſacra facere poteſt.

In hac Eccleſia vetuſtiſſimæ, & nouæ ſtationes ſunt.

Domi-

Dominica II. Aduentus. Dominica IIII. Quadrageſimæ, quæ dicitur Lætare, alias de Roſa. Feria VI. in paraſceue, quo die Romanus pontifex è Laterano procedens cũcta ſacra myſteria in ea celebrare ſolebat. Die Inuentionis, & Exaltationis S. Crucis. Vltima Dominica menſis Ianuarij, in memoriam inuentionis tituli Crucis CHriſti. Die XX. Martij dedicationis ſanctæ capellæ Hieruſalem dictæ, ſunt multæ & magnæ peccatorum indulgentiæ. Alijs etiam anni diebus, & præſertim feria VI. pietatis ſtudio deuota plebs ad eam conuenire ſolet.

Precandi formula.

Ad altare maius. Pater noſter. Aue Maria. Quintus pſalmus pœnitentialis. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuam à me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In quacumque die inuocauero te, velociter exaudi me. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. A voce gemitus mei, adhęſit os meum carni meæ. Similis factus ſum Pelicano ſolitario, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabãt. Quia ci-

nerem

nerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam. A facie iræ indignationis tuæ; quoniam eleuans alliſiſti me. Dies mei ſicut vmbra decli nauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem. Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tem pus. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in glo ria ſua. Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum. Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit. Vt audiret gemitus cōpeditorum, vt ſolueret filios interemptorum. Vt annunciaret in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hieruſalem. In conuertendo populus in vnum, & reges vt ſeruiant Domino. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generationem, & generationem anni tui. Initio tu Domine, terram fun daſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes

ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos,& mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur. Gloria. Pudicitiæ amator, ſanctiſſime Deus, qui in tantum mundiciam extuliſti, vt ex mundiſſimo vtero virginali humanam carnem aſſumere dignareris, reſpice fragilitatem noſtram, & da nobis concupiſcentias continentiæ diſciplina frænare, & omnia incitamenta libidinis, rationis virga fugare, vt domeſtico hoſte deuicto, voluptatumq́; delitijs contemptis, temperantiam ſummoperè amplectentes, gaudij tui, quod omnem delectationem tranſcendit, mundati omni macula, participes fieri mereamur. Per Chriſtum dominum noſtrum.

Ad Oratorium S. Crucis. Pater noſter Aue Maria.

O Domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce pendẽtem, & coronam ſpinam in capite portantem, deprecor te, vt tua crux liberet me ab angelo percutiente,

O Domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum: deprecor te, vt tua vulnera ſint remedium animę meæ.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in ſepulchro poſitum, mirrha, & aromatibus

conditum, deprecor te, vt tua mors ſit vita mea.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te deſcendentem ad inferos, liberantemq́ue captiuos: deprecor te, ne me illuc permittas intoire.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te reſurgentem à mortuis, aſcendentem ad cœlos, ſedentemq́ ad dexteram Dei patris: deprecor te, miſerere mei.

O Domine Ieſu Chriſte, adoro te. Paſtor bone iuſtos conſerua, peccatores illumina, omnibus fidelibus miſerere, & propitius eſto mihi peccatori.

O Domine Ieſu Chriſte, propter illam amaritudinem, quam pro me miſero peccatore ſuſtinuiſti in cruce, maxime in illa hora, quando nobiliſſima anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, deprecor te, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo, Amen.

Antiphona. O crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior vniuerſis, quæ ſola fuſti digna portare talentum mundi, dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera: ſalua nos omnes in tuis laudibus congregatos. Verſ. Hoc ſignum crucis erit in cœlo. Reſp. Cum Dominus ad iudicandum venerit.

Oratio.

Deus,qui manus,pedes, & totum corpus tuum pro nobis peccatoribus in ligno Crucis poſuiſti, coronam ſpineam à Iudæis ſuper caput tuum impoſitam ſuſtinuiſti,quinque vulnera pro redemptione mundi in ligno crucis paſſus fuiſti, & ſanguinem tuum pretioſum in remiſſionem peccatorũ meorum fudiſti : te humiliter deprecamur, vt des nobis vſum pœnitentiæ,humilitatis,caſtitatis,lumen, ſenſum,& intellectum,& puram conſcientiam vſq; ad vitæ noſtræ finẽ, & poſt obitum noſtrum paradiſi ianuas nos gaudenter introire concedas. Qui viuis & regnas,&c.

De VI. baſilica S. Laurentij extra muros. Cap. VI.

Diuum Laurentium S.R.E. Archidiaconum,triduò poſt Xyſti II. martyrium in Valeriani, & Gallieni perſecutione, Romæ pro Chriſti confeſſione occiſum, & via Tiburtina in agro Veriano iuxta cœmeterium Cyriacetis viduæ, ſupra Arenariũ ſepultum diu, multum S.Romana Eccleſia magnifecit,tanquam Dei glorioſiſſimum athletam.Hinc factum eſt,vt Conſtantino Imperatore multas Romæ ſacras ædes fabricanti,S.Silueſter papa ei hanc etiam baſilicam excitare ſuaſit,

ſit, miro opere, marmoreisq́ue ſublimibus co lumnis ornatam. In qua, ſub altari maiori, ſacello facto, corpora S S. Stephani proto=martyris, & Laurentij collocata ſunt. De eius exædificatione ita ſcribit in S. Silueſtri vita Damaſus papa: Eodem tempore Conſtātinus Auguſtus fecit baſilicam beato Laurentio martyri via Tiburtina, in agro Veranio ſupra arenarium cryptæ. Et vſque ad corpus ſancti Laurentij fecit gradus aſcenſionis & deſcenſionis. In quo loco conſtruxit abſidam, & exornauit marmoribus porphyreticis: & deſuper locum concluſit, & de argento puriſſimo ornauit penſante lib. C C. Et ante ipſum locum in crypta poſuit lucernam ex auro puriſſimo lychnorum decem, penſantem libras X X. Xyſtus I I I. papa (vt tradit Bibliothecarius) fecit confeſſionem Beati Laurētij martyris cum columnis porphyreticis, & ornauit tranſennam. Fecit quoque in eadem Confeſſione altare eiuſdem ſancti argenteum librarum quinquaginta, cancellos argenteos ſupra platonias porphyreticas librarum CCC. abſidam ſupra cancellos cum ſtatua beati Laurentij argentea librarum ducentūm. Fecit etiam baſilicam aliam beato Laurentio, quæ in Lucinis dicitur, quā Valentinianus Tertius Auguſtus ei conceſſit, vbi obtulit multa dona aurea & argentea. Anaſtaſius II. ſancti Laurentij Confeſſionem libris centum ar-

genti ornauit. Pelagius II. Papa, ſancti Gregorij prædeceſſor, baſilicam Sancti Laurentij produxit, atque à fundamentis ſupra ipſius martyris corpus cameram fecit, quam, & eiuſdem ſepulchrum tabulis argenteis exornauit. Id etiam nunc ex muſiueis ſignis arcus media baſilica ſiti apparet, in quo inter alios etiam Pelagius ipſe pictus eſt. Gregorius II. Papa (vt tradit Bibliothecarius) hanc baſilicam, quæ trabibus tecti confractis ruinæ proxima erat, nouis ex Calabria trabibus adductis reparauit: aquam fiſtulis reſtitutis, quæ multo iam tempore effluere deſierat, in eandem Eccleſiam reduxit. Honorius III. Papa hanc Eccleſiam totam à fundamentis renouauit. In hac Eccleſia extat cœmeterium Cyriacæ, alias crypta Tiburtina, ad quam per gradus aliquot eſt deſcenſus: in qua præter corpus Sancti Laurentij condita fuere corpora ſanctorum martyrum Seueri, & Iuſtini presbyterorum, Claudij Subdiaconi, Romani, Oſtiarij, Creſcentij Lectoris, ſub Xyſto ſecundo Papa. Item corpora ſanctorum Romanorum Pontificum confeſſorum, Zoſimi, Xyſti tertij. & Hilari. Præter hos etiam corpora ſanctorum martyrum Hippolyti, Concordiæ nutricis eius, cum alijs decemnouem familiæ ſuæ, Irenæi & Habundij, Cyrillæ, Triphoniæ, & aliorum multorum, quorum nomina exoleuere. Hæc baſilica olim

lim tota muro ad inſtar caſtri circundata fuiſſe videtur, cuius adhuc pars magna viam Tiburtinam attingens ſupereſt. Ipſa ampla porticu, quam fecit Honorius III. ſublimibus XXII. columnis, capitulis, ſpinis, & Zophoro ornatiſſimis, marmoreo choro, lapideis pulpitis, multis altaribus, & ſacellis laquearibus ligneis auratis, ab Oliuerio Garafa Cardinale Neapolitano factis: pulcherrimo pauimento opere teſſellato quorundam nobilium Romanorum ante quadringentos annos impenſa ſtrato. Ipſa habet tres portas, in medio arcum muſiuo ornatu à Pelagio II. factum, qui antiquam Eccleſiam à noua diuidit. Noua verò, id eſt, à Pelagio ſecundo ſtructa, in qua eſt ara maxima elegantiſſimis columnis, capitulis corinthijs miri operis, zophoris, & epiſtylijs, lapideis ſedilibus, maiori Pontificis ſede emblemate inciſa, ornatiſſima eſt. Sub arcu eſt ara maxima, confeſſio, & ſepulchrum Sancti Laurentij. Ad altare maius, ad quod nemo niſi Papa, vel Cardinalis cum eius venia tantum celebrat, operculo marmoreo ornatum, per gradus aſcenditur. Ad confeſſionem ſatis amplam & ornatam gradibus aliquot eſt deſcenſus. In confeſſione eſt ſepulchrum marmoreum crate ferrea circundatum, quo Sancti Stephanus, & Laurentius conditi ſunt. Propè alio ſepulchro dormit San-

ctus Iuſtinus presbyter & martyr, vt hi verſiculi indicant:

Quamuis mage tua mens extulit ille peruſtus,
Iuſſit te cratis, iuſſit & alma fides:
Feruore pari Iuſtini pectus aduſſit,
Cuius in hoc ſacro membra manent loculo.

Huic porrò baſilicæ, vti etiam alijs, Conſtantinus Imperator multos redditus, & ornamenta donauit, quæ breuiſſime ita à Damaſo Papa commemorantur: Poſſeſſio Cyriacetis religioſæ matronæ circa baſilicam ipſam, quam fiſcus perſecutionis tempore occupauerat, ſcilicet, fundum Veranium, præſtans ſolidos 160. Poſſeſſio Aqua Tuſcia ad latus, præſtans ſolidos 153. Poſſeſſio Auguſti in agro Sabino, præſtans ſolidos 120. Poſſeſſio Auguſti in Mutinas, præſtans ſolidos 110. Poſſeſſio Termulas, præſtans ſolidos 60. Poſſeſſio Aranas, præſtans ſolidos 70. Summa ſolidorum eſt 673. aureorum noſtratis pecuniæ 1000. Ornamenta, præter laminas, & cancellos argenteos librarum M. Lucerna aurea cum lychnuchis decem librarum XX. lucens ante cryptam, Corona argentea cum delphinis quinquaginta, librarum XXX. Candelabra ærea duo in pedibus denis, ſingula librarum VIII. Hilarius papa in eadem baſilica fecit calices, amas, ſcyphos, altare, lucernas, lampades, phara, turrim, & multa a-

lia

lia ornamenta aurea, & argẽtea. Hadrianus qui ſacratas veſtes, Nicolaus qui cruces, coronas, gabatas, vela ſerica, eidem baſilicæ obtulerunt.

Honorius III. Papa, Anno Chriſti MCCXVI. Petrum Antiſiodorenſem comitem, tertium ex Latinis Imperatorem Conſtantinopolitanum, qui Romam venerat, in hac baſilica aureo diademate coronauit. Sanctus Ioannes de Ficocia Romanus, cuius nomini extat parua Eccleſia in Vrbe dedicata, abbas huius monaſterij fuit.

Damaſus II. Papa, Guilhelmus Fliſcus Cardinalis, Innocentij IIII. Papæ fratris filius, duobus ornatiſſimis pilis ab vtroque portæ latere in ea ſepulti ſunt.

Vetuſtiſſimis temporibus clerici hanc baſilicam, quemadmodum de alijs diximus, tenuerunt. Poſtea monachi cum abbate in eadem locati ſunt, Quorum diſciplina exoleſcente, auctore Alberico Romano principe, circa annum Chriſti CML. Agapitus II. Papa eam, ſancto Paulo, & ſanctæ Hagnæ nouæ tunc congregationi Cluniacenſi, conceſſit. Quæ diutiſſime eam poſſedit. Ex cuius monaſterio Gregorius VII. & Paſchalis II. papæ prodierunt. Et congregatione deficiente, quum monaſterium Cardinalibus commendari cœpiſſet, ne patriarchalis Eccleſia ſine mi-

niſtris eſſet, Canonici regulares Sancti Saluatoris Bononiæ, vulgò Scopetini vocati, eam obtinuerunt, & adhuc poſſident. Huius monaſterij clauſtra Clementem Tertium à fundamentis reſtituiſſe, auctor eſt Martinus Polonus in eius vita. Circa eam duas Eccleſias antiquitus fuiſſe Bibliothecarius commemorat, Sancti Stephani, & Sanctæ Mariæ. De priore, Simplicius (inquit) Papa fabricauit Eccleſiam Sancti Stephani iuxta baſilicam Sancti Laurentij extra muros. De poſteriore, Leo quartus Papa: Octauam Aſſumptionis beatæ Dei genetricis diem, quæ minimè Romæ antea celebrabatur, vigilijs ſacris, matutiniſque cum omni clero pernoctans laudibus, in baſilica beatæ Mariæ virginis, quæ foris muros ſita eſt, iuxta baſilicam ſancti Laurentij martyris celebrare præcepit, in qua etiam magna populi multitudo conuenerat, nouæ ſolennitatis cupiens celebrare feſtiuitatem. Omnibus verò qui conuenerant Pontifex Leo, argentum erogauit. Baſilicæ verò ipſi veſtem pretioſam, & alia dona obtulit. In hac Baſilica multæ ſanctorum reliquiæ fuiſſe commemorantur. Quarum breuem epilogum ſubijciam.

Sub altari maiori, corpora ſanctorum Laurentij diaconi, & Stephani protomartyris. Illud quidem ibidem à ſancto Silueſtro papa locatum, hoc verò à ſancto Pela-

gio

gio papa : quod Hieroſolymis inuentum, primum Conſtantinopolitani, poſtea Romam tranſlatum eſt, vt Martinus tradit. Capita ſanctorum Hippolyti ſine mento & dentibus, & Romani martyrum thecis argenteis incluſa. Caput & brachium Sancti Iuſtini martyris. Pars capitis ſanctæ Balbinæ Virginis. Brachia tria ſanctorum Ioannis martyris, ſanctæ Petronillæ, ſanctæ Apolloniæ. In vno vaſculo cryſtallino reliquiæ ſanctorum Stephani, Laurentij cum eius adipe & cinere, Sancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis. Digitus Sancti Benedicti Abbatis. Reliquiæ ſanctorum Leonardi, Theodori, & Sabinæ. De capite Sanctæ Barbaræ. Dens ſancti Petri Apoſtoli. Reliquiæ ſanctorum Innocentium. Spinæ coronæ CHRISTI. Paruum fruſtulum eiuſdem ſanctiſſimæ crucis. De ligno menſæ, ſuper quam cum XII. Apoſtolis cœnauit. De lapide ſepulchri Chriſti. De lapide ſepulchri ſanctæ Mariæ virginis, de eiuſdem veſtimentis. De veſtibus, & capillis Sanctæ Mariæ Magdalenæ. De velo ſanctæ Tranquillæ. Vas æneum, quo ſanctus Laurentius Chriſtianos baptizare ſolebat, in his Hippolytum & familiam eius, Lucillum, Romanum, & alios. Lapis, cui corpus Sancti Laurentij iam mortui impoſitum fuit. In eadem Eccleſia aliquando fuit miri operis vas aureum

ci-

eidem ab Imperatore Othone IIII. Saxone donatum, cuius maximum prodigium commēdatur, vt ex pictura facta in porticu dextera parte ipſius Eccleſiæ. Quod vas S. Ioannes de Ficocia abbas huius monaſterij olim benedixerat.

Hæc Eccleſia quum patriarchalis ſit, altare maius ijſdem priuilegijs ornatum habet, quibus aliæ quatuor. Id mirum: quod alijs quatuor non ſit addita, quæ anno Iubilei viſitari ſolent.

Stationes eius ſunt hæ quinque. Dominica in Septuageſima vetuſtiſſima. Dominica II. in Quadrageſima. Feria IIII. poſt Paſcha. Feria V. poſt Penteсoſtem. Et in die Natalis Sancti Laurentij, quo Romanus Pontifex veſperis matutinis intereſſe, & miſſarum ſolennia celebrare in eadem ſolebat.

Precandi formula.

Ad altare maius. Pater noſter. Aue Maria. Pſalmus VI. pœnitentialis. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſubſtinuit te Domine. Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in Domino. A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël

in

in Domino. Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſraël, ex omnibus iniquitatib' eius. Gloria patri, & filio, &c.

Oratio.

Charitatis ſpeculum dulciſſime Deus, qui amore tuo, & proximi legis præcepta concluſiſti: da nobis proximos noſtros fraternis viſceribus amare: illumq; ſolum odio habère, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Da de proximorum proſperitate gaudere, illorum aduerſitatibus condolere, de nullius infelicitate lætari, vt omnis inuidiæ malitia reiecta, ad te qui verus amor, & vera charitas es, valeamus fideliter peruenire. Qui in Trinitate perfecta viuis, & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum.

Ibidem ante corpora ſanctorum Stephani, & Laurentij. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat ſigna magna & prodigia in populo. ℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati. ℟. Et fecerunt planctum magnum ſuper eum.

Oratio.

Da nobis quæſumus Domine imitari quod colimus, vt diſcamus & inimicos diligere, quia eius commemorationem celebramus, qui nouit etiam pro perſecutori-

bus

bus exorare Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum.

Antiphona pro Sancto Laurentio. In craticula te Deum non negaui, & ad ignem applicatus te Chriſtum confeſſus ſum: probaſti cor meum & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. ℣. Leuita Laurentius bonum opus operatus eſt. ℟. Qui per ſignum crucis cœcos illuminauit.

Oratio.

Da nobis quæſumus omnipotens Deus, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorũ ſuorum incendia ſuperare. Per dominum.

In cœmeterio Cyriacetis. Antiphona. Iſtorum eſt regnum cœlorum, qui contempſerunt vitam mundi, & peruenerunt ad præmia regni, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. ℣, Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus. ℟. Et quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos in æternum.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui deprecantium voces benignus exaudis, maieſtatem tuam ſupplices exoramus, vt ſanctorum martyrum hic & in vbique in Chriſto dormientium interceſſionibus, ad gaudia perpetuá peruenire valeamus. Per Dominum noſtrum.

De

De VII. Baſilica Sanctæ Mariæ maioris.

Liberius papa, qui an. ſalutis CCCLIII. Petri ſedem conſcendit, baſilicam ſanctæ Mariæ Matris Dei, miraculo niuis in Eſquilijs prope aggeres Tarquinij, haud procul à macello Liuiano, alias Liuiæ, à Ioanne Patritio viro clariſſimo à fundamentis ſua impenſa extructam, in honorem beatæ Mariæ Virginis, primam in Vrbe, Nonis Auguſti dedicauit, quæ de nomine ſuo baſilica Liberij aliquando vocata eſt. Biblithecarius. Hic (inquit) fecit baſilicam nomini ſuo iuxta macellam Liuiæ. Auctor Breuiarij veteris Romani, in lectionibus feſti Niuis: Eam baſilicam, forte minus capacem, reſtituit, & maximè (vt nunc cernimus) amplificauit Xyſtus Tertius papa, qui anno Salutis CDXXXII. creatus eſt, Magni Leonis prædeceſſor, elegantiſſimiſque veteris, & noui Teſtamenti muſiueis figuris in feneſtrarum interſtitijs, totam miro opere condecorauit, vt indicat titulus hic in exterioris arcus ſummitate: XYSTVS. EPISCOPVS. PLEBI. DEI. & verſus quidam muſiuei ſupra portam maiorem intra Eccleſiam, iam exoleſcentes, & fere conſumpti, ſic:

VIR-

VIRGO. MARIA. TIBI. XYSTVS. NOVAT.

. . . .

Bibliothecarius in Xyſti vita hanc rem ita commemorat : Hic fecit baſilicam Sanctæ Mariæ matris Domini, quæ ab antiquis Liberij cognominabatur, iuxta macellum Liuiæ ; vbi multa dona obtulit: cœnacula quoque fecit è regione graduum baſilicæ, ei adhærentia, vel quicquid intrinſecus eſſe videtur. Ita ille. Hæc baſilica antiquiſſimis temporibus appellabatur (vt dixi) baſilica Liberij, à Liberio Papa, qui eam primum condidit. Poſtea à Xyſto Tertio reſtituta, & Beatæ Virgini Mariæ dicata, dicta eſt Baſilica Sanctæ Mariæ matris Domini. Deinde ſacello præſepis in eadem extructo, Sanctæ Mariæ ad præſepe appellationem obtinuit. Nouiſſime ad aliarum Eccleſiarum, quæ Beatæ Virgini in Vrbe dicatæ ſunt, diſcrimen, dicta eſt, vt etiam hodiè vocatur, Baſilica Sanctæ Mariæ Maioris. Eſt vna ex quinque Patriarchalibus Eccleſijs, vna ex ſeptem, quæ ſolenni ritu pepetuò viſitari ſolent, ex quatuor demum anni Iobilæi vna conſtituta. Paſchalis Papa (vt tradit Anaſtaſius Bibliothecarius) Eccleſiam Beatæ MARIÆ ad præſepe reſtituit, abſidamqúe eius Baſilicæ à nouo refecit. Hæc Baſilica alijs patriar-

cha-

halibus Eccleſijs ſimilis eſt. Quæ abſida ranſuerſa cruce, mediana maiore naui, mioribus alis ſiue nauibus duabus, XL. eleantiſſimis columnis ſuffultis conſtat. Habet altare maius marmoreo operculo ornatum, podia ſiue mœniana duo lapidea teſſellata, alterum pro reliquijs ſanctorum cōſeruandis, alterum quod imaginem Deiparæ Virginis Mariæ continet: pulpita ſiue ambones marmoreos duos elegantiſſimis tabulis incruſtatos, ſacella aliquot magnifica, altaria circiter XXV. marmoream teſſellatam ſedem, gradus ad altare maius porphyreticos, Confeſſionem tabulis marmoreis incruſtatam, columnis ornatam. Ante fores verò templi porticum, & aream, tres portas in mediana naui, & quartam, quam ſanctam vocant, habet.

De his, quæ memoratu digna ſunt, breuiſſimè dicam. Crucem mediam tranſuerſam, & naues ex vtraque parte minores, è ligneis lateritias, & fornicatas fecit Guilhelmus Cardinalis Rothomagenſis, eiuſdem baſilicæ aliquando Archipresbyter, Epiſcopus Oſtienſis, & S. R. E. camerarius, vir inſignis pietate, & magno animo præditus. Quarum nauium dextrã collabentem reſtituit Paulus IIII. Sacellum vetuſtiſſimum preſepis, cum ara, & imaginibus partus B. Virginis, totum emblematibus decoratum eſt. Ante quod ſub altare ſui nominis iacet

T D. Hie-

D.Hieronymus, ſummus Eccleſiæ doctor: quod altare fecit Guilhelmus Cardinalis Rothomagenſis. Duo alia magna ſacella fabricarunt idem Guilhelmus in honorem S. Mariæ Virginis, & Fridericus Cæſius Epiſcopus Cardinalis Portuenſis ſanctæ Catharinę dicatum, in quo ipſe, & eius frater Paulus Cardinalis dormiunt, beatam reſurrectionis ſpem expectãtes. Tertium miri operis delubrum inchoauerat Guido Aſcanius Sfortia Cardinalis S.Florę, eiúſdem baſilicę Archipresbyter, quod morte præuentus imperfectum reliquit.

Porticum ante baſilicam cum columnis, & epiſtylio marmoreo fecit Eugenius III. papa Piſanus ordinis Ciſtertienſis, ex Abbate trium Fontium ſummus pontifex factus, vt verſiculi indicant,

Tertius Eugenius Romanus papa benignus
Obtulit hoc munus virgo Maria tibi:
Quæ mater Chriſti fieri merito meruiſti,
Salua perpetua virginitate ſibi.
Es via, vita, ſalus totius gloria mundi,
Da veniam culpis virgo Maria noſtris.

Gregorius XI. Turrim campanariam reſtituit.

Pauimentum baſilicæ vermiculatum fecerunt duo nobiles ciues Romani, Sotus, & Ioannes ipſius filius Paparones, ante annos CCCC. tempore eiuſdem Eugenij III. papæ. Pulpita in medio Eccleſiæ lapidea varijs

mar-

marmoribus porphyreticis viridibus Lacedęmonijs ornata, pro Epiſtola, & Euangelio decantandis, Alexander III. Senenſis fabricauit. Operculum marmoreum nobiliſſimum, quatuor columnis porphyreticis ſuſtentatum altaris maioris, Guilhelmus Cardinalis Rothomagenſis: tectum baſilicæ laqueari ligneo aurato pulcherrimo Alexander Sextus abſidæ maioris quæ supereſt ornatus, è muſiuo Nicolaus Quartus Aſculanus, ordinis Minorum olim generalis miniſter, & Iacobus columna Diaconus Cardinalis fecerunt. Idem Iacobus, & Petrus Columnæ Cardinales, & fortaſſis alter eorum Archipresbyter eiuſdem baſilicæ, faciem anteriorem Eccleſiæ muſiueo opere eleganti condecorarunt, quibus ſignis primam baſilicæ exædificationem expreſſerunt. Tabernaculum, ſiue ferculum reliquiarum marmoreum & teſſellatum, quatuor columnis ſuffultum, condiderunt Ioannes Capocius, & vxor eius Vinia, nobiliſſimi in vrbe ciues, ante annos tre centum. Quis verò id ferculum, quo beatiſſimæ Virginis imago clauditur, è nobili marmoreo factum extruxerit, mihi incompertum. Extat in Eccleſiæ capite porphyreticum labrum, quod Ioannis Patricij primi Eccleſiæ conditoris ſepulchrum eſſe dicitur.

Bibliothecarius eiuſmodi redditus, & ornamenta commemorat, quæ Xyſtus III. huic baſilicæ ab ſe ędificatę donauit. Poſſeſſio Seuerina in agro Caietano, præſtans ſolidos trecenta duodecim. Poſſeſſio Marmorata in agro Præneſtino, præſtans ſol. 92. Poſſeſſio Celeris in agro Aufidnate, præſtans ſol. 111. Poſſeſſio Palmatij iuxta baſilicam, cum balineo, & piſtrino, præſtans ſolidos 154. Domus Claudij in Sicimino, præſtans ſolid. 104. Summa ſolidorum 1073. aureorum 1600. Ornamenta verò eiuſmodi fuere. Altare argenteum librarum CCC. Cantarum pharum argenteum ante altare librarum XXX. Cantari phari, alias coronæ pherales argenteæ XXXVI. ſingulæ libr. X. Candelabra argentea IIII. ſingula librarum XX. Cathara ceroſtrota ex auricalco XXIV. ſingula librarum XV. Argenteum thimiamaterium lib. V. Amæ argẽteæ IIII. ſingulæ lib. IX. Scyphus aureus lib. XII. Scyphi argentei V. ſinguli librarum quinquaginta. Calices miniſteriales aurei duo, ſinguli libræ vnius, alias librarum III. Calices miniſteriales argentei X. ſinguli lib. III. Patenæ argenteæ tres, ſingulæ librarum IX. Aquamanuli argentei, librarum VIII. Ceruus argenteus fundens aquam in baptiſterio, lib. X X. Omnia vaſa ſacra baptiſmatis argentea, ſingula lib. XV. Multa alia aurea, & argentea ornamenta donarunt huic baſilicæ

Io-

oannes, Gregorius III. Hadrianus, Nicolaus, & alij Romani pontifices. Gregorius III. fecit in hac baſilica per circuitum ſuper columnas regulare candelabrum inſtar Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli. Fecit etiam ibidem in orator o ad pręſepe imaginem auream librarum quinque, Dei genitricis filium amplectentis, gemmis multis ornatam. In eius verò Eccleſiæ vſum multas ſacras veſtes obtulit. Idem fecit Hadrianus papa. Sylueſter III. olim Epiſcopus Sabinus in ſchiſmate contra Benedictum VIII. papam, creatus, apud huius baſilicæ patriarchium pōtificatus iura tenens, permanſit anno MXLV. Nicolaus IIII. ibidē dum in vrbe manebat, commorabatur. Clemens III. Paulus Scholaris vocatus, ciuis Romanus, ab ineunte ętate, in eodem patriarchio educatus eſt, canonicus ibi fuit: deinde Epiſcopus Cardinalis Prænestinus factus ab Alexandro III. palatium prope ipſam baſilicam condidit pro ſe & futuris Epiſcopis Præneſtinis, quod poſtea canonicis ab eodem, quum pontifex creatus eſſet, cum alijs multis rebus donatum eſt. Honorius III. Cencius ante pontificatum vocatus, in eadem Canonica nutritus, ex ea Diaconus Cardinalis aſſumptus eſt à Cœleſtino III. & S.R.E. camerarius factus, qui Innocentio III. mortuo ſummus pontifex renunciatus, cuncta eius baſilicæ priuilegia confirmauit

Quartis ferijs Quatuor temporum, in ſtatione quæ in ea erat, pontifex Romanus, eos quos Diaconos, & presbyteros Cardinales creare conſtituerat, in hac baſilica publicè pronunciabat.

Multæ ad eam ſupplicationes à Romanis pontificibus pro gratijs Deo agendis, vel eius ira mitigāda, aut in difficillimis reipub. Chriſtianæ temporibus, habitæ.

Fœdus ſub Hadriano VI. inter eum, Cæſarem Carolum V. & Venetos ad arcendos Italia Gallos ictum, in hac Eccleſia publicatum fuit, Pompeio Cardinale columna ſacris operante.

Pontifices maximi tres, & ſupra XX. Cardinales S. R. E. in ea requieſcunt. Honorius III. ante ſacellum pręſepis, in terra prope altare S. Hieronymi. Nicolaus IV. humi prope portam maiorem poſterioris Eccleſiæ partis. Benedictus X. pontificatu iam exactus, & apud eam mortuus.

Hæc baſilica ritum baſilicæ Vaticanæ antiquitus habuit clericos, & monachos. De monachis primū, mox de clericis dicemus. Bibliothecarius in vita Simplicij papæ: Hic (inquit) fecit baſilicam S. Andreæ Apoſtoli iuxta baſilicam S. Marię maioris. Idem in vita Gregorij II papæ, Gregorius II. (inquit) gerontocomium, quod poſt abſidam ſanctę Dei genitricis ad præſepe ſitum eſt, monaſterium inſtituit, atq; monaſteriū S. Andreæ

Apoſtoli, quod barbaræ nũcupatur, ad eam deductum deſolationem, vt in eo ne vnus quidem monachus relictus eſſet, accitis monachis ordinauit, inſtituitq́, vt horum duorum monaſteriorum monachi in baſilica S. Dei genitricis Mariæ, die noctuq́ diuinas Deo canerent laudes. Ita ille. De quibus monachis nihil præterea memoratu dignum inueni. Horum monaſteriorum adhuc veſtigia ſuperſunt. Clericos porrò primum, deinde canonicos cum Archipresbytero, qui modo eſt Cardinalis, in ea diutiſſimè permanſiſſe, ex antiquis eius baſilicæ, & bibliothecæ palatinæ monumentis inueni, ex quibus ante quingentos annos canonicos in ea eſſe conſtat. Nicolaus IV. qui diu apud eandem baſilicam permanſit, palatium ſuo & Canonicorum vſui apud eam condidit. Idem fecit Nicolaus V. qui clauſtrum, porticum, cubicula, triclinia, cameras ibidem extruxit. Hodie Canonicorum pars, clerici, Capellani, cantores, & alij Eccleſiæ miniſtri, per ædes in area, ante & circum Eccleſiam incolunt. Pœnitentiarios Pius V. ex ordine Prædicatorum in hac baſilica cæteris eiectis inſtituit: quorum collegio domũ S. Pudentianæ cõceſſit. Hodie habet hęc baſilica Canonicos XVI. cũ Archipresbytero, Beneficiatos XIIX. Clericos XII. miniſtros, cantores, manſurarios, camillos circiter XX. Archipresbyter eſt nunc Carolus Bar-

romeus Cardinalis, vir pius, & eam optime gubernat.

In hac Eccleſia ſunt multæ & veneratione cognituq́ dignæ reliquiæ, quarum ſeriem afferam. Primum in ea eſt imago beatiſſimæ Virginis Mariæ, ante quam S. Gregorius papa orans, peſtem extinxit, antiphonamq́ illam edidit: Regina cœli lætare, &c. Quæ die Aſſumptionis B. Virginis in media Eccleſia populo veneranda collocatur, & in ſolenni ſupplicatione cum imagine S. Saluatoris Lateranenſi eodem die defertur. In altari dicto ad præſepe, de CHriſti præſepio. Sub altare maiori corpus S. Matthiæ Apoſtoli. Prope præſepe ſub altare ſui nominis corpus S. Hieronymi presbyteri, Eccleſiæ doctoris eximij. Ibidem muro affixæ ſunt duæ tabulæ marmoreæ cum bullis inciſis Pij II. papæ. Altera inſtituit feſtum tranſlationis corporis S. Hieronymi, VII. Idus Maij, altera eundem feſtum ad Vigiliam Aſſumptionis B. Virginis tranſtulit, & multis indulgentijs eum diem celebrem facit. In marmoreo verò ferculo, quod reliquiarum dicitur, eiuſmodi reliquiæ conſeruantur, & ſtatis diebus populo deuotiſſime oſtenduntur. I. Caput S. Vibianæ Virginis & martyris. II. Duo digiti, mentum, & aliæ reliquiæ S. Anatoliæ Virginis & martyris. III. De cingulo, & velo S. Scholaſticæ, ac de reliquijs S. Catharinæ, S. Euphemiæ, S. Annæ, &

de

de zona & lecto B. Mariæ Virginis. IIII. Dalmatica, qua indutus erat S. Thomas Cãtuarienſis Archiepiſcopus, quando interfectus eſt. V. De brachio, ſanguine, cerebro, cilicio, cuculla, & alijs reliquijs eiuſdẽ ſancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis. VI. Planeta, ſtola, & Manipulus, quibus celebrabat ſanctus Hieronymus doctor in capella præſepis Domini noſtri IESV CHriſti in Bethleem. VII. Caput cum alijs reliquijs ſancti Marcellini papæ & martyris. VIII. Brachium cum alijs reliquijs ſancti Iuliani martyris. IX. Corpora ſanctorum Simplicij, Beatricis, & Fauſtini martyrum. X. Brachium ſancti Coſmæ martyris. XI. De ſanguine, cerebro, cilicio, & alijs reliquijs eiuſdem ſancti Coſmæ, & Damiani martyrum. XII. De brachio ſancti Abundij, & de reliquijs S. Sebaſtiani, S. Blaſij, S. Stephani protomartyris, & ſancti Ioannis Baptiſtæ. XIII. Mentum cum alijs reliquijs S. Zachariæ patris S. Ioannis Baptiſtæ. XIV. Crus B. Epaphræ condiſcipuli S. Pauli Apoſtoli. XV. Brachium cum alijs reliquijs ſancti Lucæ Euangeliſtę, qui depinxit imaginem B. Mariæ Virginis in hac baſilica exiſtentem. XVI. Brachium S. Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, cum alijs eius reliquijs. XVII. Caput S. Matthiæ Apoſtoli, cuius corpus eſt ſub altari maiori huius baſilicæ. XVIII. De reliquijs ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Andreæ,

Iacobi, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, & de manna S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. XIX De reliquijs aliorum Apoſtolorũ, & plurimorum ſanctorum martyrum, confeſſorum, & virginum. XX. Cunabulum, ac de faſcia, & pannis infantiæ Domini noſtri IESV Chriſti. XXI. De veſtimento purpureo, de ſpongia, de ſindone, & de ſepulchro Domini noſtri IEſu CHriſti. XXII. De ligno ſanctiſſimę crucis Domino noſtri IEſu Chriſti. Hæ reliquiæ populo die Paſchæ oſtendi ſolent.

In hac Eccleſia plures ſunt ſtationes, quã in alia vrbis baſilica, præter S. Petrum. Sunt enim XV. quum Lateranenſis baſilica non niſi VII. S. Pauli VI S. Laurentij IV. tantum. Vaticana verò XX. habeat. Hæ ſunt ſtationes. I. Dominica I. Aduentus. Singulis IV. ferijs Quatuor temporum. VI. Vigilia Natalis Domini. VII. Nocte Natalis Domini ad ſacellum præſepis, in I. Miſſa. VIII. In Miſſa maiori, & toto die Natalis Domini ad altare maius, quæ ſtatio antiquitus apud S. Petrum erat, ſed proper diei breuitatem huc tranſlata. IX. Die S. Ioannis Euangeliſtæ. X. Die purificationis B. Virginis XI. Feria IV. maioris hebdomadæ. XII. Die ſecundo Reſurrectionis. XIII. Feria II. Litaniarum triduanarum ante Aſcenſionem Domini. XIV. In feſto dedicationis Eccleſiæ, dicto Feſtum Niuis. XV. In die Aſ-

ſump-

ſumptionis B. Virginis. Quibus diebus,& præſertim feſtis Natalis Purificationis, Paſchæ, Aſſumptionis, Romanus pontifex Miſſarum ſolennia celebrare in ea conſueuerat. Die verò Purificationis proceſſionem à S. Hadriano inchoatam ad eandem Eccleſiã perducere, & pedibus nudis cum candelis accenſis ire, ibiq́ue celebrare. Eaſdẽ & ſupplicationes habebat ſingulis quartis ferijs Quatuor temporum. Nocte verò Natalis Domini in capella prçſepis, die verò in altare maiori ſacra faciebat. Anno ſancto Iobilei porta ſancta quç ibi eſt, ab Archipreſbytero eius Eccleſiæ aperiri ſolet, eoq́ elapſo claudi. Hæc enim Eccleſia inter quatuor eſt, quæ eo anno viſitantur, reliquis alijs à Gregorio XI. addita. Super eius ara maxima nemo niſi papa, vel cum eius venia Gardinalis celebrare conſueuerunt. Id priuilegiũ omnibus quinque patriarchalibus Eccleſijs commune eſt.

Multæ in ea ſunt indulgentiæ, à Romanis pontificibus, & præſertim Nicolao IV. conceſſæ, vt liquet ex duabus muſiueis tabulis, abſidæ muro affixis. Quorum eiuſmodi eſt exemplum. Primæ. Ad hanc ſacrã baſilicam omnibus deuotè venientibus à fœli. record. Nicolao IV. papa, in ſcripto indulgentiæ ſunt cõceſſæ, & innouatæ. In primis ſingulis diebus annus vnus & duç quadrag. Item ſingulis diebus Lunæ, Mercurij.

&

& Sabbati centum dies. Item in quadrageſima S.Martini, ſingulis diebus tres anni & tres quadr. Item in Natiuitate Domini, & vſque ad octauam, XII. anni, & XII. quadr. Item ab octaua Natiuitatis vſque ad Epiphaniam, octo anni, & VIII. quadr. Item ab Epiphania & vſq; ad octauam, XII. anni, & XII. quadr. Item ab octaua Epiphaniæ vſque ad Purificationem, XII. anni, & XII. quadr. Ité à Dominica LXX. vſque ad XL. duo anni, & duæ quadr. Item in quadrageſima, ſingulis diebus, tres anni, & tres quad. Item in feſto B. Matthiæ Apoſtoli, X. anni, & X. quad. Item in octaua eiuſdem, ſex anni, & ſex quad. Ité in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis, X. anni, & X. quadragenæ. Item in Reſurrectione Domini, & vſque ad octauam, XII. anni, & XII. quadr. Item ab octaua Reſurrectionis vſque ad Aſcenſionem, duo anni, & II. quadr. Item in Aſcenſione & vſque ad octauam, VI. anni, & VI. quadragenæ. Item ab octaua Aſcenſionis vſque ad Pentecoſtem, II. anni, & II. quadragenæ. Item in Pentecoſte vſque ad octauam, VI. anni, & VI. quadragenæ. Item in feſto Niuis vſque ad octauam, XIV. anni, & XIV. quadragenæ. Item indulgentia ab octaua feſti Niuis vſque ad Aſſumptionem, VIII. anni, & VIII. quadrag. Item in Aſſumptione & vſque ad octauam, XII. anni, & XII. quadragenæ. Item ab octaua Aſſumptionis vſque ad natiuitatem virginis,

ginis, VIII. anni, & VIII. quadr. Item in Natiuitate Virginis vſque ad octauam, XII. anni, & XII. quadrag. Item in feſto omnium Apoſtolorum & Euangeliſtarum, S. Laurentij, & S. Hieronymi, duo anni, & duæ quadragenæ. Item in feſtis S. Crucis, III. anni, & III. quadrag. Item ſingulis diebus Sabbati, vnus annus, & vna quadragena. Item ſingulis diebus Lunæ, Mercurij, Sabbati ad prẹſepe, I. annus, & I. quadr. Item in ſingulis ſtationibus ipſius baſilicæ, quæ ſunt omnibus diebus Mercurij, Quatuor temporum. Dominica de Aduentu, Vigilia Natalis Domini, & IIII. feria maioris hebdomadæ, IX. anni, & IX. quadragenæ. Item quicumque ad reparationem, ſeu conſeruationem ipſius baſilicæ, & alias prout ei Dominus inſpirabit, quotieſcunq; & quandocunque manum porrexerit adiutricem, annus vnus, & vna quadragena.

In hac ſacra baſilica corpora ſanctorum Matthiæ Apoſtoli, Hieronymi doctoris, Romulæ, & Redemptæ Virginum reconduntur. Item cunabulum domini. De ligno ſanctæ crucis: de capillis & veſtimentis B. Virginis. Caput B. Matthiæ. De brachio, craneo, & cerebro S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, de tibijs ſanctorum Coſmæ, & Damiani. Brachium S. Epaphræ diſcipuli Domini, & multorum aliorum ſanctorum, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.

Pre-

Precandi formula.

Ante altare maius, & ſanctiſſimam Euchariſtiam. Pater noſter. Aue Maria. Septimus Pſalmus pœnitentialis. Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam, in veritate tua exaudi me in tua iuſtitia. Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam. Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus: in me turbatum eſt cor meum. Memor fui dierum antiquorum: meditatus ſum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus. Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam; quia in te ſperaui. Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes

des omnes inimicos meos. Et perdes omnes, qui tribulant animã meã: quoniam ego ſeruus tuus ſum. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.

Oratio.

Omnipotẽs & mitiſſime Deus, qui mortali carne aſſumpta, vt innocens, & mãſuetus agnus ad occiſionem ductus es, & illuſus, percuſſus, crucifixus, malum pro malo non reddidiſti, ſed pro tranſgreſſoribus exoraſti: planta in cordibus noſtris patientiæ & manſuetudinis virtutem: vt irę furorem vincentes, manſueto corde, mala in bono vincamus, inimicoſq́ue noſtros, & perſequentes nos, nec ira, nec odio perſequamur: ſed bonum pro malo reddendo, illi ad portum ſalutis adducantur, noſq́ue ſub tua manſuetudine in hac vita pie viuentes, ad veræ pacis patriam aſcendere valeamus. Qui viuis & regnas cum Deo patre in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Alia Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, fundamentum omnium virtutum, amor, & conſeruator omnium in te ſperãtium, pijſſime conſolator omnium ad te clamantium, qui cœlum & terram de nihilo feciſti, vniuerſum mundum pugillo concluſiſti, naturam humanam mirabiliter vnitiue aſſumpſiſti, patibulum crucis ſubire noluiſti, genus

nus humanum redemiſti, poteſtatem diaboli penitus deſtruxiſti, regnum tuum requirentibus promiſiſti: reſpice in me, & miſerere mei. Confiteor enim hodie coram diuina, adoranda, & æterna maieſtate tua, me auaritia feruenti grauiter vulneratum, immò & alijs peccatis omnibus alligatum, quæ præ multitudine numerari non poſſunt. Propter quod non ſum dignus videre altitudinem cœli, propter multitudinem iniquitatum mearum: quoniam irritaui iram tuam, & malum coram te feci. Deprecor ego te Domine IESV, Saluator mundi: vt reſpicere digneris me proſtratum ante imaginem tuæ ſanctiſſimæ, atque clementiſſimæ pietatis: & concedere digneris mihi miſerrimo peccatori ſpatium pœnitendi. Et ſicut mihi fuit intentio peccandi, ita ſit emendandi poſſibilitas. Et infunde in me ſpiritum æternæ maieſtatis, & pietatis: vt virtute ſpei illuſtratus, te ſolum Deum quęram, in quo totam ſpem meam humiliter repono conſeruandam. Et aufer à me ſpiritum nefarium auaritiæ, atque tenacitatis: & da mihi ignem tui amoris, ſpem, fidem, & charitatem: manſuetudinem, miſericordiam, caſtitatem: quatenus his virtutibus adornatus, hoſtẽ viſibilẽ & inuiſibilẽ valeã cõformiter ſuperare, per te CHriſte Saluator mundi: Qui viuis & regnas cũ Deo patre, & Spiritu ſancto, per infinita ſæcula ſæculorũ, Amen.

Anti-

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus ſancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.
S. Maria. ora pro nobis
Sancta Dei genitrix. ora
Sancta virgo virginum. ora
S. Michaël. ora
S. Gabriel. ora
S. Raphael. ora
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines orate pro nobis.
Sancte Adam. ora
S. Abel iuſte. ora
Sancte Noë. ora
S. Abraham. ora
S. Moyſes. ora
S. Dauid. ora
S. Eſaia. ora
S. Hieremia. ora
S. Simeon iuſte. ora
S. Ioannes Baptiſta. ora

Omnes ſancti patriarchæ, & prophetę, orate pro nobis
S. Petre Apoſtolorum princeps. ora
S. Paule vas electionis. ora
S. Andrea Apoſtolorum primò vocate. ora
S. Iacobe Apoſtolorum protomartyr. ora
S. Ioannes euangeliſta Chriſti dilecte. ora
S. Philippe Apoſtole. ora
S. Matthæe euangeliſta. ora
S. Barnaba diſcipule, & apoſtole ora
S. Marce Euangeliſta. ora
S. Luca euangeliſta. ora
Omnes ſancti apoſtoli & euangeliſtę, orate
Omnes ſancti diſcipuli Domini, orate
Omnes ſancti Innocentes. orate
S. Stephane protomartyr. ora
S. Antipas teſtis Chriſti fidelis. ora
S. Clemens Papa & martyr ora
S. Alexander papa & martyr. ora
SS. Fabiane & Sebaſtiane. orate
S. Laurenti. ora
SS. Geruaſi & Protaſi. orate
SS. Vincentij & Anaſtaſi. orate
SS. Coſma & Damiane. orate
SS. Ioannes & Paule. orate
Omnes ſancti martyres. orate
S. Silueſter papa & confeſſor. ora
S. Leo. ora
S. Gregori. ora
S. Ambroſi. ora
S. Auguſtine. ora

S. Hie-

S.Hieronyme. ora
S.Athanaſi. ora
S.Baſili, ora
S.Ioannes Chryſoſtome. ora
S.Martine. ora
Omnes ſancti pontifices & confeſſores, orate pro nobis.
Omnes ſancti eccleſiæ doctores, orate pro nobis.
S.Ioſeph nutricie Domini noſtri Ieſu Chriſti, ora pro.
S.Benedicte. ora
S.Romualde. ora
S.Bernarde. ora
S.Petre cœleſtine. ora
S.Dominice. ora
S.Franciſce. ora
S.Nicolae de Tolentino. ora
S.Antoni de Padua. ora
S.Thoma de Aquino. ora
Omnes ſancti monachi & eremitæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti ſacerdotes & leuitæ, orate pro nobis.
Sancta Anna mater B.Virginis. ora
S.Eliſabeth. ora
S.Maria Magdalene ora
S.Praxedes. ora
S.Pudentiana. ora
S.Cæcilia. ora
S.Agnes. ora

S. Catherina. ora
S. Monicha. ora
S Clara. ora
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ. orate
Omnes ſancti & ſanctæ Dei, intercedite pro nobis
Propitius eſto, parce nobis Domine
Propitius eſto, Exaudi nos Domine
Ab omni malo, Libera nos Domine
Ab omni peccato, Libera nos Domine
Ab ira tua, Libera
Ab inſidijs diaboli, Libera
A ſubitanea & improuiſa morte, Libera
Ab ira, odio, & omni mala volũtate, Libera
A fulgure, & tempeſtate, Libera
A ſpiritu fornicationis, Libera
A morte perpetua, Libera
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuę, Libera
Per aduentum, & natiuitatem tuam, Lib.
Per baptiſmum, & ſanctum ieiunium tuum, Libera
Per mortem, & ſepulturam tuam, Lib.
Per ſanctam reſurrectionem tuam, Lib.
Per admirabilem aſcenſionem tuam, Lib.
Per aduentum Spiritus ſancti paracliti. Lib.
In die tremendi Iudicij. Lib.
Peccatores, Te rogamus audi nos
Vt nobis parcas, Te rogamus audi nos
Vt nobis indulgeas, Te rogamus audi nos
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere dig-

digneris, Te rog.

Vt Eccleſiam tuam ſanctam regere, conſeruare, & amplificare digneris. Te rog.

Vt Dominum noſtrum Apoſtolicum N. & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſeruare digneris, Te rogamus audi nos.

Vt inimicos ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ, Turcas, Saracenos, Hæreticos, & Schiſmaticos humiliare digneris. Te rog.

Vt omnes Hæreticos ad ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ gremium reuocare digneris. Te rog.

Vt regibus & principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris, Te rog.

Vt cuncto populo Chriſtiano pacem & vnitatem largiri digneris, Te rog.

Vt noſmetipſos in tuo ſancto ſeruitio confortare, & conſeruare digneris, Te rog.

Vt mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas, Te rogamus

Vt omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, Te rog.

Vt animas noſtras, fratrum, propinquorũ, & benefactorum noſtrorum ab æterna dãnatione eripias, Te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare, & conſeruare digneris, Te rogamus

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris. Te rog.

Vt nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei. Te rogamus audi nos

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.

Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter. Aue Maria. Pſal.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animã meam. Auertantur retrorſum, & erubeſcãt, qui volunt mihi mala. Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge euge. Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego verò egenus, & pauper ſum: Deus adiuua me. Adiutor meus, & liberator meus es tu Domine, ne moreris. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c. ℣. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in vobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis. ℣. Domine non ſecun-

dum peccata noſtra facias nobis. ℟.Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. ℣.Oremus pro Domino noſtro Apoſtolico N.℟.Dominus conſeruet eum,& viuificet eum , & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. ℣.Oremus pro benefactoribus noſtris. ℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus,propter nomen ſanctum tuum vitam æternam.℣.Oremus pro fidelibus defunctis. ℟.Requiem æternam dona eis Domine,& lux perpetua luceat eis. ℣.Requieſcant in pace. ℟.Amen. ℣. Pro fratribus noſtris abſentibus. ℟ Saluos fac ſeruos tuos, Deus meus ſperantes in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tuere eos. ℣.Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere,ſuſcipe deprecationem noſtram, vt nos,& omnes famulos tuos,quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat.

Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus.& pacem.

Ineffabilem nobis Domine miſericordiam tuam clementer oſtende:vt ſimul nos &

à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famuli tui Domini noſtri Apoſtolici N. & dirige eum ſecũdum tuam clementiam in viã ſalutis æternæ: vt te donante, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Deus, â quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera, da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Vre igne Sancti ſpiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine: vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum famularũque tuarum remiſſionem cũctorum tribue peccatorum: vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Om-

Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris ſimul & mortuorũ, omniumq́ miſereris, quos tuos fide, & opere futuros eſſe prænoſcis, te ſupplices exoramus: vt pro quibus effundere preces decreuimus, quoſque vel præſens ſeculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, intercedentibus omnibus ſanctis tuis, pietatis tuę clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen. Verſ. Domine exaudi orationem meam. Reſp. & clamor meus ad te veniat. Verſ. Benedicamus Domino. Reſp. Deo gratias. Verſ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dñs. Reſp. Amen.

Ad Beatam Virginem. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. Verſ. exaltata eſt ſancta Dei genetrix. Reſp. Super choros angelorum ad cœleſtia regna. Oratio. Famulorum tuorum quæſumus Domine, delictis ignoſce, & qui tibi placere de actibus noſtris non valemus genitricis filij tui domini noſtri interceſſione ſaluemur, per eundem Dominũ noſtrum, Ieſum Chriſtum filiũ tuum, qui tecum viuit, &c.

ruinam proximam, à fundamentis reſtituit, abſidam muſiueis figuris ornauit, multa ſanctorum corpora ex cœmeterijs ruinoſis ablata, eidem intulit, & honorificè collocauit. Fecitq́ue in ea duo oratoria muſiueo opere ornata, S. Zenonis, in quo eius corpus recondidit, & S. Hagnetis. Ita Bibliothecarius. Hæc eadem confirmant verſiculi in abſida ex muſiuo facti, ſic:

Emicat aula pie varijs decorata metallis
Praxedis domina ſuper æthra placentis honore
Pontificis ſummi ſtudio paſchalis alumni,
Sedis apoſtolicæ paſſim qui corpora condens,
Plurima ſanctorum ſubter hæc mœnia ponit
Fretus vt his limen mereatur adire polorum.

Extat antiquum Monachorum clauſtrum, quod, vt ex antiqua inſcriptione liquet, Benedictus presbyter Cardinalis huius tituli fabricauit, Gregorio VII. pontifice, maximo. Hunc titulum obtinet Carolus Cardinalis Borromæus, quem totum renouauit, ad aram maximam operculum refecit, ſedilia reſtituit, cancellum marmoreum aurichalcheis alabaſtris pulcherrimum fecit, monachorum numerum auxit. Eam enim tenent monachi Vallis vmbroſæ ex Congregatione ſancti Benedicti, inſtituta à ſancto Ioanne Gualberto Florentino, qui iam ipſam per quadringentos annos poſſident.

In pariete muri prope oratorium S. Zenonis.

nis huiuſmodi tabula marmorea extat: In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, temporibus ſanctiſſimi ac ter bea tiſſimi & Apoſtolici Domni Paſchalis Papæ infradicta ſunt veneranda ſanctorum corpora in hanc ſanctam & venerabilem baſilicam beatæ Chriſti virginis Praxedis : quæ prædictus pontifex dirutis ex cœmeterijs ſeu cryptis iacentia auferens, & ſub hoc ſacroſancto altari ſumma cum diligentia proprijs manibus condidit, in menſe Iulio die XX. Indictione X. Nomina verò Pontificum Romanorum hæc ſunt: Vrbani, Stephani, Anteri, Miltiadis, Fabiani, Iulij, Pontiani, Siricij, Lucij, Xyſti, Felicis, Anaſtaſij, & Cœleſtini. Item nomina epiſcoporum, Stratonici, Leucij, & Optati. Presbyterorum & Leuitarũ, Nicomedis Archipresbyteri, Iuſtini. & Cyrini Cyriaciq́ue diaconi, Nemeſij, atque Zachæi. Etiam & martyrum nomina iſta ſunt, Zotici, Irenæi, Hiacynthi, Amantij, Marij, Audifax, Abacuc : ac ſanctorum octingentorum, quorum nomina ſcit omnipotens, Caſtuli, Felicis militis, Gordiani, Epimachi, Seruiliani, Sulpicij, Diogenis, Blaſti, & aliorum LXII. Marcelliani, Marci, Feſti, & aliorum duorum. Tertullini, Fauſti, Bonoſi, Mauri, Calumnioſi, Ioannis, Exuperantij, Caſti, Cyrilli, & ſeptem Germanorum, Honorati, Theodoſij, Baſilij, Creſcentij, Largi, Smaragdi, Creſcentiani, Ia-
ſo-

ſonis,Mauri, Hippolyti, Pontiani,Chryſanti,& aliorum LXVI. Simulqúe & aliorum mille centum viginti quatuor,quorum nomina ſunt in libro vitæ. Mauri, Artemij, Pollionis,&aliorum LXII.martyrum.Nomina quoque virginum, & viduarum,Praxedis, Pudentianæ, Iulianæ, Symphoroſæ, Feliculæ, Marinæ, Candidæ, Paulinæ, Dariæ, Baſillæ, Memmiæ, Martæ, Emerentianæ, Zoę, & Tiburtiadis. Quo circa & in ipſo ingreſſu baſilicæ manu dextra (vbi vtique benigniſſimæ ſuæ genitricis ſcilicet Domnæ Theodoræ Epiſcopę corpus quieſcit) condidit iam dictus pręſul corpora venerabilium zenonis presbyteri,& aliorum duorum : pariterqúe & in oratorio Beati Ioannis Baptiſtæ manu læua prænominatæ baſilicæ (quod & ſecretarium eſſe dinoſcitur) condidit corpora Sanctorum Mauri,& aliorum XL. martyrum. Simili modo & in oratorio Beatæ Chriſti virginis Agnetis , quod furſum in monaſterio ſitum eſt, ipſe paſtor eximius poſuit corpora ſanctorum martyrum, videlicet, Alexandri Papæ, atque Euentij, & Theoduli presbyterorum. Hos omnes Dei electos frequentius deprecamur , vt per eorum valeamus preces poſt funera carnis , ad cœli conſcendere culmen. Amen. Sunt autem inſimul omnes ſancti duo millia. CCC.

In eodem proximo oratorio ſanctæ Zenonis extat columna, ad quam Dominus noſter IEſus CHriſtus, tempore ſuæ paſſionis alligatus fuiſſe dicitur, & verberatus: quam ante annos CCCL. Ioannes Columna presbyter Cardinalis huius tituli, ſub Honorio III. Orientis Legatus, ex Hieroſolymis Romam attulit, & in eo oratorio locauit: ſuper quam collocata ſunt corpora ſanctorum Valentini, & Zenonis. In medio verò eius ſacelli ſub rotũdo lapide ſunt corpora XL. martyrum. Hoc ſacellum mulieres non ingrediũtur, in cuius ſummitate ſunt hi verſus:

Paſchalis præſulis opus decore fulget in aula,
Quod pia obtulit vota ſtuduit reddere domino.

In media Eccleſia ſub craticula ferrea conditorium, in quo repoſitus fuit ſanguis ſanctorum martyrum Romæ occiſorum, quem ſpongia ſugebat è terra ſancta Virgo Praxedis: item multa ſanctorum martyrum corpora ibidem collocata fuere.

Nicolaus Seniorilis in libro reliquiarum, has baſilicæ ſanctæ Praxedis commemorat: In Eccleſia ſanctæ Praxedis ſunt hæ reliquiæ. Vna capſula lignea ſpeculis cooperta: in qua eſt de viminibus, quibus fuit verberatus Dominus noſter IEſus CHriſtus. De veſtimentis eiuſdem. De reliquijs ſanctorum Innocentium, Clementis papæ Hippolyti martyris Terentiani, ſanctorum

qua-

quadraginta martyrum. Item ſanctæ Annę, ſancti Benedicti, & ſancti Galli Abbatum, ſancti Franciſci, ſanctæ Conſtantiæ filiæ Cōſtantini Imperatoris. Item vas vitreum, cum ſpongia, qua S. Praxedes ſuggebat ſanguinem martyrum. Item tabernaculum cryſtallinum argento cluſum, cum fruſto inconſutilis veſtis IEſu CHriſti. Item Tabernaculum cryſtallinum cum his reliquijs: De veſte Chriſti, de linteo, quo Apoſtolorum pedes terſit in ſero cœnæ: de ſindone, quo eius corpus fuit inuolutum in ſepulchro, de reliquijs ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Andreæ, & Bartholomæi Apoſtolorum. Item aliud Tabernaculum cryſtallinum argento deaurato incluſum, in quo ſunt de cingulo CHriſti, & veſtimentis B. Mariæ Virginis. Item alia theca cryſtallina ornata argento, in qua ſunt digitus pedis S. Petri Apoſtoli, coſta S. Philippi, brachium S. Barnabæ Apoſtolorum, dens S. Blaſij Epiſcopi. Item aliud vas cryſtallinum cum brachio S. Stephani protomartyris, reliquijs ſanctorum Laurentij, Nerei, Archillei, & Pancratij martyrum. Vas vitreum fractum cum ligno Sancti Crucis: reliquijs ſanctorum Simonis Apoſtoli, Stephani, Epimachi, Pantaleonis martyrum, Ioannis Gualberti Abbatis Vallis Vmbroſæ, Claræ Virginis. Item tabernaculum oblongum cryſtallinum ære deaurato munitum, in

quo

Ibidem ad Martyres. Antiphona. Propter teſtamentum Domini & leges diuinas, ſancti Dei perſtiterunt in amore fraternitatis, quia vnus fuit ſemper ſpiritus in eis, & vna fides. Hæc eſt vera fraternitas, quę nunquam potuit violari certamine, qui effuſo ſanguine ſecuti ſunt CHriſtum, contemnentes tyrannorum minas, & tormenta, peruenerunt ad regna cœleſtia. ℣. Ecce quã bonum, & quàm iocundum. ℟. Habitare fratres in vnum. Oratio. Beatorum martyrum tuorum duũm millium hic in Chriſto quieſcentium nos, quæſumus Domine, merita tueantur, & eorum cõmendet oratio veneranda. Per Dominum noſtrum, &c.

Ad oratorium S. Zenonis, & ſanctam Columnam. Pater noſter. Aue Maria. O Domine IEſu CHriſte, fili Dei viui, qui ſeptem verba die vltimo vitę tuæ in cruce pendens dixiſti, vt ſemper illa in memoria haberemus: Rogo te per virtutem illorum verborum, vt mihi parcas quicquid peccaui aut commiſi de ſeptem peccatis mortalibus, ſcilicet, de ſuperbia, inuidia, ira, accidia, luxuria, auaritia, & gula.

Domine ſicut tu dixiſti, Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt: fac, vt ego amore tui parcam cunctis mihi mala facientibus. Et ſicut tu dixiſti latroni, Hodie mecum eris in paradiſo: fac me ita viuere, vt tu in hora mortis meæ dicas mihi, Hodie

omnes paſſiones tuæ: & defendant me ab omni dolore,& anguſtia: & ab omni luctu & miſeria:ab omni tribulatione,& impugnatione corporis,& animę.Scio enim quod quacumq; die tuarũ paſſionũ memoriã habuero: ſaluus ero: & ideo de tua pietate cõfiſus, per tuas paſſiones pijſſimas te deprecor, vt me famulum tuum cœleſti auxilio cuſtodias, & in tua protectione defendas. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus,per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

De Eccleſia & titulo S. Pudentianæ.

OMNIVM vrbis Eccleſiarum, quæ modo ſuperſunt, vetuſtiſſima eſt baſilica S.Pudentianæ, in parte Thermarũ antiquarum Nouatianarum in vico Patricio, à S. Pio papa condita. De qua ita ſcribit in eius vita Damaſus papa:Hic rogatus B.Praxedis dedicauit Eccleſiam Thermas Nouati in vico Patrici in honorem ſororis ſuæ Pudentianæ, vbi & multa dona obtulit, & ſæpius ſacrificium Domino offerens miniſtrauit, vbi & fontem baptiſmi conſtrui fecit, manu ſua benedixit,& conſecrauit, & multos venientes ad fidem baptizauit in nomine ſanctæ Trinitatis.Hæc ille.Hæc verò Eccleſia antiquitus titulus paſtoris dicebatur, de S.paſto-

ſtoris presbyteri, & eiuſdem papæ Pij fratris nomine, qui primus eum titulum tenuit. Antiquitus perſecutionum tempore, parua Eccleſia erat: pace Eccleſiæ data, amplificata fuit, pulpitis marmoreis, aliquot ſacellis, & ædicula vicina S. Paſtoris additis, quam Simplicium papam dedicaſſe ferunt. Abſidæ muſiuum cum CHriſti & Apoſtolorum imaginibus, vetuſtiſſimum & admodũ elegans eſt. Altare maius marmoreo operculo ornatum, habet pulpita duo lapidea, ex antiquo ædificio fabrefacta, in quorum tabulis inciſa ſunt: SALVO. SIRICIO. EPISCOPO. ECCLESIÆ. SANCTÆ. Multos & magnos presbyteros Cardinales habuit. Concilio Romano Symmachi papæ ſubſcripſere inter alios Cardinales, Aſterius huius tituli paſtoris presbyter Cardinalis, & alij eiuſdem tituli presbyteri, Iuſtinus, & Maxentius. Leo III. papa huic titulo donauit veſtem albam oloſericam, vt memorat Bibliothecarius. Petrus Saſſonis Anagninus eiuſdem tituli, ſub Innocentio III. presbyter Cardinalis ante aram maximam tabulas grandes marmoreas, quæ presbyterium ab Eccleſię cella ſepararent, locauit. Antiqtus in ea clerici, poſtea canonici regulares cõgregationis S. Mariæ de Rheno Bononiæ eam tenuerunt, ibidem circa Innocentij II. papæ tempora locati. Quibus deficientibus, diu ſine certis miniſtris fuit, S.

Mariæ

Mariæ Maioris baſilicæ addicta, vel presbyteri Cardinalis titularis curę cõmiſſa. Cuius adhuc amplæ extant, quamquam ruinoſæ, antiquæ ædes. Pius Quintus eam modo ordini Prædicatorum conceſſit, pœnitentiarioſq; in ea inſtituit, qui baſilicæ ſanctæ Mariæ Maioris inſeruirent. Leopardus, & Maximus presbyteri S.R.E. ſub S.Innocentio papa in ſepulchro ante hanc Eccleſiam conditi ſunt. Baſilicæ porta varijs ſigillis, & his verſiculis ornata eſt:

Ad requiem vita cupis o tu quiq; venire,
En patet ingreſſus fueris ſi rite reuerſus.
Aduocat ipſe quidem via dux & ianitor idem
Gaudia promittens, et crimina quæq; remittẽs.

Item circum agnum Dei.

Mortuus & viuus idem ſum paſtor & agnus:
Hic agnus mũdum inſtaurat ſanguine lapſum.

Circum S.Praxedis figuram.

Nos pia Praxedes prece ſancta confer ad ædes,
Occurrit ſponſo Praxedes lumine claro.

Circum S. Pudentianam.

Protege præclara nos virgo Pudenquetiana
Virgo Pudentiana coram ſtas lampade plena.

Circum S.Pudentem.

Te rogo ſancte Pudens, nos purga crimina trudens.
Almus & iſte docet Pudens ad ſydera calles.

Circum S.Paſtorem.

Sancte precor Paſtor pro nobis eſto rogator,
Hic cunctis vitæ Paſtor dat dogmata ſanctæ.

In hac Eccleſia parte dextra eſt vetuſtiſſimum ſacellum muſiuco opere decoratum, à quodam Maximo, viro illuſtri conditum. In quo vulgò S. Petrum primã in orbe Miſſam celebraſſe traditur. Iacent in hac Eccleſia tria millia corpora ſanctorum martyrũ, ſub puteo amboni proximo. Ibi eſt puteus alius, in quo ipſorum ſanguis repoſitus fuit.

Reliquias, quæ in hac Eccleſia fuerunt, commemorat Nicolaus Seniorilis: Theca lignea, in qua ſunt ſex tabernacula ærea, & aliquot vaſa vitrea, cum hiſce reliquijs. Duę ſpinæ coronæ IEſu Chriſti. Duo puncta clauorum, quibus cruci affixus fuit. De lapide eiuſdem ſepulchri. De columna, ad quam fuit alligatus, & verberatus. De velo B. Mariæ Virginis. De veſtimentis S. Petri Apoſtoli. De coſta S. Iacobi Apoſtoli. De oſſibus capitis B. Bartholomæi Apoſtoli. De capillis S. M. Magdal. De reliquijs ſanctorum Andreæ & Barnabæ Apoſtolorum, Zachariæ patris ſancti Ioannis Baptiſtæ, Syluestri & Gregorij pontificum: & S. Pudentianæ Virginis.

In hac Eccleſia eſt ſtatio feria III. poſt III. Dominicam Quadrageſimæ.

Huic Eccleſiæ annexũ eſt ſacellum S. Paſtoris presbyteri, fratris S. Pij papæ: in quo eſt puteus quadratus clauſus ſanguinis martyrum, de quo ſupra dixi: ara, & pulpitum marmoreum, cum hiſce verſiculis:

Tem-

Tempore Gregorij ſeptimi præſulis almi,
Presbyter eximius præclarus vir Benedictus,
Moribus Eccleſiam renouauit funditus iſtam,
Quam conſecrari ſacer idem Cardiquenalis,
Eiuſdem ſane fecit ſub tempore papæ,
Auguſti menſis ſeptem nouemq́; Calendis
Nomine Paſtoris, præcurſorisq́; Ioannis.
De cruce, veſte Dei locus hic eſt ſanctus haberi,
Cui pars de ſancti ſociatur veſte Ioannis.
Martyris & Stephani papali nomine primi,
Martyris, & papæ Felicis honore ſecundi,
Nec minus Hermetis præfecti martyris vrbis,
Et Tranquillini, Marci, Marciqueliani,
Horum reliquijs conſtat locus iſte celebris,
Hinc & multorum poſſemus nomina, quorum
Dicere ſi in tabula locus illis eſſet in iſta,
Nos meritis horum redeamus ad alta polorum.

Precandi formula.

Ad altare maius. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Hæc eſt virgo ſapiens, & vna de numero prudentum, quam ſponſus CHriſtus ſuperueniens vigilantem inuenit. Verſ. Elegit eam Deus, & prælegit eam. Reſp. In tabernaculo ſuo habitare facit eam. Oratio. Deus, qui beatam Pudentianam Virginem tuam ad cœlos per martyrij palmam peruenire feciſti, concede propitius, vt eius exempla ſequentes ad te peruenire mereamur. Per Dominum noſtrum, &c. Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriã

Eccleſiam patribus Carthuſianis, in antiquis Diocletiani Thermis, ſub appellatione SS. Leonis, & Nicolai Confeſſorum. Quã eis conceſſit. Cæterùm prioris eos conſilij cùm pœnituiſſet, Thermis dimiſſis idem monaſterium circa titulum S. crucis in Hieruſalem condiderunt: in quo ipſi patres Carthuſiani vſque ad nóſtra tempora permanſere. Pius IV. P. M. aëris inſalubritatem, in quo S. Crucis baſilica ſita eſt, attendens, antiquam Comitum Vrſinorum voluntatem executus, ex populi Romani conſenſu, Thermas ipſas ijſdem patribus ea lege conceſſit, vt illi totius ordinis ſui impenſis monaſterium, ipſe verò baſilicam ædificaret. Quod ab vtriſque inchoatum eſt. Patres monaſterium, & ampliſſimum clauſtrum, ipſorum more, iam inchoarunt: Pius ipſe mediam Thermarum partem ex Michaëlis Angeli Bonaroti præſcripto occupans, eam No. Aug. anni MDLXI. in ſacram ædẽ ſolennibus additis comprecationibus vertit, beatæꝗ Virgini, & angelorum choris dedicauit: quod nos ipſi vidimus, & hi verſus abſidæ affixi indicant.

Quod fuit idolum, nunc templum eſt Virginis: auctor
Eſt pater ipſe Pius. Dæmones aufugite.

Hanc Eccleſiam mirum in modum exornare conſtituerat, ſed morte præuentus id opus imperfectum reliquit.

In ea eſt ſtatio ab eodem pontifice inſtituta, Dominica quarta Quadrageſimæ: eiqúe omnes indulgentiæ Eccleſiæ S. Crucis in Hieruſalem communicatæ: additæqúe dies Natalis, Paſchæ, Pentecoſtes, & feſtiuitatum B. Mariæ, quibus multæ indulgentiæ eam viſitantibus conceſſæ.

Precandi formula.

Ad altare B. Virginis, & Angelorum. Pater noſter. Aue Maria. Antiphona. Quoniam natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ ſunt ſcripturæ, ſicut pluuia in vellus deſcendiſti, vt ſaluum faceres genus humanum: te laudamus Deus noſter. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſæ beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum noſtrum.

Antiph. pro Angelis. Dum ſacrum myſterium cerneret Ioannes, Archangelus Michael tuba cecinit: Ignoſce Domine Deus noſter, qui aperis librum, & ſoluis ſignacula eius. ℣. Stetit Angelus iuxta aram templi.

pli. ℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Oratio.

Deus, qui miro ordine angelorum miniſteria, hominumqúe diſpenſas, concede propitius, vt quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Dominum noſtrum IEſum CHriſtum, &c.

FINIS.

A01 1472442

A 58.

BIBLIO
VI
L
Digitized by Google